

30

1588

No

A

37-334

1888.



L48

19 to 8 - 5.

~~24. a. 8.~~

~~13.~~

4

4-469

|                          |       |
|--------------------------|-------|
| Biblioteca Universitaria |       |
| GRANADA                  |       |
| Sala                     | _____ |
| Estado                   | ● A   |
| Tabla                    | 37    |
| _____                    | 334   |

5



*[Faint, illegible handwriting]*

*[Faint, illegible handwriting]*



121915291

17. 12. 994

ANNVAE  
LITTERAE  
SOCIETATIS  
IESV

ANNI. M. D. LXXXVIII.

AD PATRES ET FRATRES  
eiusdem Societatis.



ROMAE,  
In Collegio Societatis Iesu.  
M. D. XC.

---

Cum facultate Superiorum.

Del colegio de la comp. de Jesus de  
granada. Lib



3

ANNAE LITTERAE  
SOCIETATIS IESV  
ANNI. M. D. LXXXVIII.

PATRIBVS, FRATRIBVS Q.  
Societatis Iesu, gratia, & pax  
Christi Domini.



**R**EDEO ad vos Patres, Fratresq.  
Carissimi cum annalibus, properatis  
quidem illis, ut antea, sed &  
parciore materia, & cura minore:  
illa enim annua, & per se etiam an-  
gustior: hæc a negotijs emergenti-  
bus contracta: ut venerit sæpe in mentem præstitif-  
se repudiare opus inceptum, quam cogi perficere  
negligenter: hanc cogitationem religio compescuit,  
& suspicio affectatæ modestiæ. Iam nemo est, qui  
me magis accuset, quam ego ipse: nec excuso: quod  
confugisse videor ad patrocinium tum veritatis, tum  
etiam perspectæ vestræ humanitatis. Ab hac spe  
ijs circumcisis, quæ perscripta anno proximo tam ci-  
to non erant repetenda (quid enim referam socio-  
rum numerum, locorumque in quibus versantur, aut  
ea, quæ ut magis communia, minus sunt in prom-  
ptu, cum præcipue Castellana, & Peruviana Provin-



eia siluerint?) ad rem ipsam aggrediar. Illud ta-  
 men premonero, accessisse ad Societatem Collegia  
 quattuor. In Austria Crumlouienne, Mo-  
 nasteriense in Rhenana, In Lugdunensi  
 Aniciense, Alqueriense in Sardi-  
 nia. Nunc, Deo fauente,  
 initium capiam a Pro-  
 uincia Romana.



PROVINCIA  
ROMANA.



CONTINET hæc Prouincia so-  
cios quingentos quinquaginta sex.  
In Domo professa fere centum : in  
Collegio Romano, vt ne excipiantur  
loca, quæ ad ipsum pertinent, cen-  
tum nonaginta tres : in Collegio Pœnitentiariorum  
tres & viginti : totidem in Seminario : in Domo  
Probationis, quinquaginta sex : In Collegio Germa-  
nico duodecim : sex in Anglicano : in Maronitarum  
duos : In Lauretano, Illyrico, & Montis Sancti sex  
& quadraginta : In Senensi septemdecim : vno am-  
plius in Florentino : In Perusino vnum & viginti  
quindecim in Maceratensi : vno minus in Recine-  
tensi : In Tiburtino decem . Ex his omnibus locis  
desiderati nouem : adlecti in nostrum numerum tri-  
ginta tres.

COLLEGIUM ROMANVM.

DISCIPLINÆ causa ad nos concurrentium,  
& quidem e prima nobilitate numerus sic au-  
ctus, vt eorum multitudine obsideantur schola, &  
magistri onerentur: nec commode omnibus satisfieri

possit: & sunt tamen qui malint vel hoc modo sub  
 retineri, quam differri ad tempus. nempe arcentur  
 cuncti ab illecebra peccandi, & virtutis emulatio-  
 ne singuli accenduntur, nec sane alias plenius illu-  
 striusve gymnasium fuit. interdum etiam doctorum  
 virorum frequentia & amplissimorum principum  
 splendore celebratur. Ex illa porro iuuentute mo-  
 ribus & ingenijs inelyta conflatum est Parthenium  
 Sodalitium duplex, curriculum pietatis, & religio-  
 sarum familiarum incrementum. neque enim steri-  
 lis est Virgo, ipsiusq. educatu noua quotidie sobo-  
 les Filio succrescit. Quo maior est religio fratrum  
 nostrorum in Collegio, & discendi diligentia. hanc  
 testantur tum saepe alias, tum maxime cum viris  
 illustrissimis beneuolentiae causa aedes nostras inui-  
 sentibus, quod fit plerumque ex improviso, conue-  
 siunt interiorem ambulationem tam multis cul-  
 tisq. versibus, vt perinde in exiguitate temporis  
 copiam, & in copia elegantiam admirere. nam reli-  
 gionem declarant, vt mittam domestica, conciones  
 crebrae ad custodias publicas, ad caenobia Virgi-  
 num, ad alia vrbis templa: ceteraque generis eius-  
 dem. Sed hoc praecipuum. Vir quidam fama iuxta,  
 vitaq. improbus, sacerdotij dignitatem quo erat  
 praeditus, flagitiorum magnitudine polluebat. ad-  
 diderat ad dulcedinem peccandi inueteratam con-  
 suetudinem. Erat quippe annorum instar septuaginta.  
 ad hunc adijt superiorum permissu. re prius bea-  
 tissimae Virgini Andreae q. apostolo diligenter com-  
 mendata, vnus e magistris. ille paratus simulatione

non admittebat auribus verba, quæ iaciebantur. tandem, ut non difficile est coarguere mendacium, non ausus diutius dissimulare culpam, simulato dolore discussit admonentem. sed peruersitate hominum maior est Dei clementia. iniectus corpori morbus animum correxit: a quo vix plane conuulerat, cum serio respiscens eundem magistrum in Collegio conuenit, ab eoq. adductus ad Sacerdotem non fictam penitentiam ostendit liberrima confessione.

DOMVS PROBATIONIS  
& Collegium Pœnitentiariorum.

**C**VM Sixtus Quintus Pontifex maximus ex aqua quam subterraneo riuo & opere arcuato induxit in montem Quirinalem, & a veteri suo nomine Felicem dixit, fescunciam dedisset domui Nouitiorum, populus Romanus liberalitatem Principis emulatus, materiam concessit fistulæ extruenda. Et nunc aquas salientes videas in hortos amœnos, & quia aliquanto ampliores, ut scripsimus anno proximo, ad relaxationem animorum magis opportunos. Idem Pontifex eleemosynæ nomine ad nos misit aureos nonnullos, cum declarauit beatum Didacum Complutensem habendum esse in numero Sanctorum. Tyronum industria & exercitatio, quæ debet. Ex ijs cum aliqui e peregrinatione reuertentur, sexto ab vrbe lapide inciderunt in pauperens morbo fameq. confectum. igitur cum eum cibo po-

euq. refocillassent, lignea impositum crati ad nosodochium Sancti Spiritus mirantibus caritatem aegrotorum profectis, ipsomet aegroto gratias agente, multa de nocte attulerunt.

POENITENTIARIORVM ope consilioq. ad Religiosorū familias, multi conuersi, reuersi non pauci, quidam etiam ad catholicam religionem: soluti aliquot Ecclesiasticis vinculis, quibus erant innexi. emendatiorem vitam instituere quam plurimi, omnibus antea actae maculis confessione purgatis. e dono libellorum piorum rerumq. piacularem multiplex fructus. cetera in consideratione tacita reponantur.

SEM INARI VM ROMANVM  
& Collegium Germanicum.

CONVENTUS adolescentium, qui Mariam virginem patronam adoptarunt, magnos in pietate processus habent. affligunt corpora, quantum quidem illis conceditur, supplicijs: excolunt animos virtutibus: ad valetudinaria etiam se extendunt, aegrosq. adiuuant pecunia operaq. & imbuunt salutari doctrina. Clerici duo in Nostrorum numerum adscripti. Laxatae aliquantulum domus angustiae horto domicilioq. contiguo, quod e Dominicanorum familia conductum habemus. Nec minor in litterarum studio progressus. Philosophicas theses defendere nonnulli in celebri virorum illustrium atque adeo Cardinalium corona. Cardinalis autem Rusticucius, panes quem regimen Semina: y, amat  
in dies

in dies probatq. disciplinam Nostrorum, vel ob alumnorum fructum, vel ob concursum petentium.

EPISCOPIVS Vratislaviensis, vnus ex ijs qui educti olim edoctiq. in Collegio Germanico, calicem misit ex auro solido affabre factū, amoris sui monumentū: aestimatur fere aureis mille. Distentus idem assidua procuratione muneris sui, vt limina Apostolorum ad praescriptum tempus salutare non posset, ad fratris filium litteras misit, vt se apud Pontificem maximum excusaret.

### COLLEGIUM ANGLICANVM.

EX HOC Collegio quod constat alumnis quinquagintaquinque, missi duo in Belgium: Sacerdos item vnus de Societate in Hispaniā. Sacerdotes deinde vndecim in Angliam. E quibus tres Societati se adiunxerunt. ex his vnus in Belgium, duo in Angliam contendere iussū. Sed & hi erant adhuc in Gallia, cum dissoluta classe Hispaniensi, intuta nuntiabantur omnia, infidaq. in portibus Anglia: ita cautius videbatur expectare dum deferuesceret procella. At vnus e nostris tyronibus plenus animi nihil prolatandum ratus, quod in maioribus periculis appareat illustrior diuina prouidentia, socium & duos alios sacerdotes secum rapit, perducitq. saluos in Angliam: ea res Anglis catholicis adiuumento fuit, & sacerdotibus alijs, vt statim e Gallia soluerent, exemplo. E duobus, qui hoc anno huic Collegio se tradiderunt, alter antequam cederet e pa-

tria.

tria, patrimonij portionem quæ ad se pertinebat, fratri concessit nomine donationis, ut ne tamquam in damnati bona inuaderent hæretici, ubi auditum esset eum sacerdotem esse factum. Alter cum anno octogesimo tertio traicit in Galliam, ut Remis catholice agat, resstantibus ventis in Angliam reijcitur, & a satellitibus regijs comprehenditur in portu. Sistitur consilio, rogatus causam fugæ, ut Catholicus, inquit, cum sim, inter mihi similes verfer. cum frustra deterretur ab acclamantibus, detrusus est in carcerem: & sexto denique mense parentis ipsius fideiussione liberatur. quinque annos domi cum fuisset, nactus idoneam tempestatem ad nauigandum, transmisit in Galliam: Romam deinde pedester venit. Sacerdotes hoc anno tres fortiter iuxta feliciterq. pro fide Catholica mortem optetiere. Ricardus Ligus: comprehensus hic cum in quodam carceris cubiculo ad sacrum celebrandum se parat: Ioannes Cornelius, & Ioannes Lous. narratur de hoc quiddam minime silendum. Ibat cum matre, die inclinante, præter pontem Londinensem, in quo martyrum capita in sublimi proposita ostentui: ea conspicatus ingemuit cum suspirio: scitanti causam matri respondit, quod video capita fratrum meorum: neque antea letabor quam e beato eorum numero mihi esse contigerit. ea vox cum delata esset ad magistratus ab hæretico qui in transitu exceperat, eadem nocte Lous captus, mox etiam donatus martyrio: cuius spem amplexus animo, nisi rem ipsam fuisset adeptus, numquam acquiesset.

COLLEGIUM LAVRETANVM  
& Illyricum.

**P**RÆTER sollemnes peregrinorū aduentus. Autumno Vereq. cetero etiam anno permagnus numerus sacrosanctam visitantium domum, seseq. aperientium fructus. Insignes meretrices dua ad honestiorem vitam traductæ, mira gratulatione Episcopi illius vrbis, vnde discesserant. Quadragesima Aduentuq. Domini definitis diebus, festis item toto anno, concio habita Antisite Cleroq. audientibus, probantibusq. hunc perinde, vt alios Nostrorum labores. vsurpata per fraudem pecunia restituta: & certa quidem dominis, incerta pauperibus, dominorum loco. namque multi secuti antea Zachæum errantem, eundem voluere sequi penitentem. Virorum illustrium lites, periculosaq. cognatorum & affinium iurgia equis condicionibus & pace finita. hæc & talia: neque enim omnia ponuntur: sanctissimæ Virginis Deiq. matris beneficio: quæ munificans salute homines, ea in æde, in qua concepit olim salutem mundi, præsentiam suam admirabiliter ostendit.

**Q**UI IN Illyrico instituuntur, Episcopo assistunt sacra facienti, non parua cum laude pietatis: & qui iam instituti, in patriam redierunt, vitæ integritate, & sedulitate audiendarum confessionum, ita se probant suis Episcopis, vt alij expetantur.



## COLLEGIVM RECINETENSE.

**A** *DIVVATVR* maxime ciuitas oblectaturq. vsurpatione ac renouatione Christiana doctrina: nec fere alij urbem intra extraq., virorum etiam ac mulierum cantus exaudiuntur: præcipue puerorum: e quibus vnus annorum trium, quam agebat animam dedit in cantico mortalium mentes ad cælum inuitante. nec minor pœnitentium fructus. Ferris natalicijs communicarunt amplius mille in nostro templo, cuius supellex insigniter aucta. Aliquot Sanctorum reliquiæ nobis donatæ: quas inter non exigua pars costæ beati Viti, cuius nomine gaudet nostra ades, & patrocinio ciuitas Recinetensium. ita excipi placuit magnifico apparatu: ad hunc modum. Quatriduo ante dies noctesq. campana æra pulsata: ipso die maximum in vrbe templum conuesitum aulæis & versibus in martyrem, suffitumq. suauissimis odoribus. dum populus confluit, vespertina preces concinuntur symphonia pulcherrima: in queis audita Viti laudes, & recitatum dein multigenum carmen, quod referebat simile argumentum, ab adolescentibus. cum mouere se inciperet pompa, magnus tormentorum fragor increbrescere, vt obtunderet canoram vocem tubarum: procedebant omnes Sodalitates vrbis cum luminibus amplius quadringentis. Religiosorum singula familia ordine psallentes. iuuenes Illyrici immisi clero, ad viginti. Sacræ reliquiæ Viti, Mauriij, Vrsulæ, vrnulis tribus ferebantur argenteis  
a tribus

a tribus Cleri proceribus . Circum tensam effundebantur decem e Nostris, candido amictu, accensas faces manu praeferentes . Sequebatur Picentium Praetor ( ad hunc diem Macerata aduenerat ) cum magistratu & capitibus urbis : exin innumera utriusque sexus & maxime muliebris multitudo . Vbi ventum in forum maximum, permisto cantu sonituq. clariora gaudij signa : flexum denique ad nostram ademitum Angelorum specie cultuq. pueri pro foribus loco eminenti, Sanctos orant, quorum reliquiae portabantur, ut ne grauentur dignatione sua maius facere templum eorum nomini consecratum . ingressos excepit noua Musica Latinaq. elegia, & oratio Italica, tanta dicentium venustate, ut audientes lacrimis non temperarent . postremo cum clausisset omnia temperata varietas vocum lizuorumq. canentium, magna gratulatione discessum est : etsi ne tum quidem ab omnibus : mansere multi, iterumq. rediere alij, beatorum corporum ipsa venerantes . nec illius tantum diei fuit laetitia, sed per multos etiam gratis & cogitationibus & sermonibus reuocata . Ceterum confessiones audita, restitutiones factae, amicitiae reconciliatae non paucae . tres muliercule a prostituenda pudicitia traductae .

## COLLEGIVM MACERATENSE.

**D**VO e nostris fratribus lenta tabe consumpti . aliqui in eorum locum suscepti . nec defuere

fuere qui impatientes moræ aditum sibi ad alios ordines inuenerunt . non leue æstimatu quantum boni attulerit concionum Sacramentorumq. vsus & frequentia ciuitati . Vtiles fuere Nostri in lectulo , magis in patibulo morientibus . Caput Virginis e felici cœtu beata Vrsula ab ade principe in nostram assensu Antistitis , quæsitissimis honoribus , illatum . Sodalitij Parthenij admirabilis cursus ad omnem pietatem . Ex hoc Collegio Camerinum Mattelicamq. , item Osimum , & ad Montem Philatranum , de voluntate Episcoporum suscepta profectio : quibus omnibus de locis vniuersè dici potest : tradita elementa doctrinæ , insudente cantu res salutare in animos , cum oblectatione discantium : explicatas quæstiones de Officijs Christianis : habitas conciones ad populum , & ad virginum cœnobia : opem latam ægris vinculisq. : auditas confessiones innumeras : aliaq. communia : De Camerino , hoc præterea , excitatam Episcopo populoq. cupiditatem instituendi Collegij : eamq. ad rem communibus multorum studijs æs minime exiguum priuatim publiceq. sepositum .

## COLLEGIUM PERVSINVM.

**E**SCHOLIS, vt hinc ordiamur, Academia Congregatioq. quæ Minorum dicitur, effloruit. duo ex his Societatem impetrarunt, & vtriusque multis experimentis per ipsorum domesticos perspecta constantia : maxime alterius, cui res & spes  
offere-

offerebatur, & concessa voluptas nuptiarum. Nec minus frugifera Maiorum congregatio, quatuor ex ijs in varia cœnobia sponte transeuntibus. Exercitationibus Patris nostri Ignatij ad meliorem vitam informati permulti. Adiuta concionibus Monasteria virginum, & aucta multarum introitu. Conciones perceptionesq. Sacramentorum in templo nostro frequentes: interdum Governatore urbis panem, qui de cœlo descendit, ministrante: quod cum semel fecisset natali die Ioannis Baptiste cognominis sui, eodem die viris multis nobiles natalitium prandium in Collegio dedit. Pacificata mulier cum interfectores fratrum duorum: & vir primarius cum altero a quo letale vulnus acceperat: utriusque pacificatio publico testimonio firmata. Sed & hic, reconciliatus matri fratriq. quibus iamdiu succensebat, ut nec alloquio dignaretur. Letum id civitati, quo magis tumens odium videbatur in grave periculum erupturum. Præstita opera assidua obventibus: enituit in primis nauata civi, duobusq. fratribus, apud suos non obscuro genere, damnatis supplicio: maior horum patientia, pœnaq. acerbior: sed ita constantes excepere mortem, ut ira sceleribus debita in misericordiam verteretur. Iuerunt in vicina oppida Sacerdotes duo: & habitis concionibus, auditis confessionibus, euulsis superstitionibus peccatisq., odijs restinctis, hominibus ad rerum restitutionem bonamq. frugem adductis, traditis denique inijtis fidei Christianæ, fructus non mediocres reportarunt.

16 PROVINCIA  
FLORENTINVM ET SENENSE  
Collegia.

**I**N TEMPLO maximo, vt mos gereretur Illu-  
strissimo Cardinali, eidemq. præfidi Sacrorum,  
concionatus vnus e Nostris diebus dominici Aduen-  
tus, magno concursu. neque id in eade nostra mul-  
tisq. Sodalitijs vrbans fieri desitum. Magnus  
Etruriæ Dux cum ad nos venisset, perhumaniter  
templum, cuius exterior facies nunc magis visen-  
da, & Collegij lustraturus angustias, exceptus est  
a Nostris accommodata ad tempus oratione, ele-  
gantiq. apparatu versuum Latinorum Græcorumq.,  
quos & in volumen coniectos ad se voluit afferri.

**AT SENIS** Pater Marius Fabricius, notæ in  
concionando facundiæ amœniq. ingenij, atque eo va-  
lidior in persuadendo, populoque acceptior, aduersa  
valetudine oppressus concessit e vita. haud facile  
quisquam aut ægrotans tantæ curæ ciuitati fuit, aut  
moriens merori: illam testati facientes vota pro  
cius salute, & crebris nuntijs inuisentes: hunc re-  
centem quidem, lamentis & lacrimis, nunc etiam  
dolore ac tristitia testantur. ita eundem & lugere  
honestum putarunt, & æquum putant meminisse.  
Iacuit corpus in templo a primo diluculo ad crepu-  
sculum vltimum, solatio confluentium. Et certe vir  
egregius, quamquam medio in spatio integræ atatis  
correptus, quantum ad officiosos labores, longissi-  
mum tempus peregit. Confessiones auditiæ e sex cœ-  
nubijs virginum, & e carcere publico: in quo &  
tempe-

rempeſtiue habitæ conciones : adiutiq̃ue ad recte moriendum infirmi : eodemque tempore iacta documenta circumſtantibus ad bene viuendum . finita multorum inimicitia : etſi difficilis videbatur exitus veterum iurgiorum . Is adoleſcens , de quo proxime ſcripſimus admirabiliter immutato , ſe quotidie fit melior , & vt minus oneratur opibus , quarum bonam partem diſtribuit pauperibus , liberior excurrit in ſemita virtutis . Res domeſtica ſacraque ſupellex non parum accreuit . Adita oppida quadam e ditione Archiepiſcopi , adiutaque , vt verbo abſoluam , muneribus Societatis : vt miſſionem paucis poſt menſibus iterare oportuerit .

## COLLEGIUM TIBVRTINVM

&amp; Sedes Montis Sancti .

**N**OVITEMPLI celebritas & recepta iam conſuetudo Chriſtiana & doctrina magno decori & emolumento huic ciuitati fuit . igitur pueri puellaque magis parentibus obſequentes : vtilis per urbem cantiones laſciuis expulſis : pro poſitum pudicitia in multis virginibus , & in quibusdam voto firmatum : fuit & ſuis concionibus fructus : vnde frequens confeſſio , & pietas magna multorum . Sed nihil aequè profuit ac beata Symphoroſæ filiorumque veneratio : quorum opem poſcentes in rebus dubijs audiuntur : & certe , mulier illius inuocatione mortem effugit , grauemque vterum , geminorum puerorum , quibus prope erea Staſteo & Nemeſio



mesio nomen, enixu, leuauit. Itum hinc quoque in pagos vicinos, serendisque seminibus pietatis, & extirpandis superstitionibus aliquid effectum. In vno puella opinione omnium & sermone multorum energumena, post traditionem sacrosanctorum mysteriorum, pro sana relicta.

**MONTIS ETIAM SANCTI** sedes vt in promouenda ædificatione, ita etiam in perduendis ad Christum animis suos progressus habet. a duobus Sacerdotibus festis diebus confessiones non pauciores centum, plures in magis sollemnibus audiuntur: vt res fere superet fidem. Templum etsi vetus angustumque, non caret ornatu & cultu. Doctrinæ Christianæ vsus nuper inuectus pueros allicit cum voluptate ad discendum, eorumque parentes retinet in amore Societatis: cuius rudimenta talis & incrementa noscuntur.

### MISSIONES DVAE.

**T**EATE vrbs est Marucinorum: Castellio Aretinus oppidum in Etruria. Vtroque missi concionatum Quadragesima Nostri. Et illic quidem ad Collegij fundationem multorum curæ conuersæ. Scriptum ea de re ad Castrucium Cardinalem, vt ageret cum Pontifice: iuitque ad Patrem Nostrum Generalem vir nobilis offerens vniuersam hereditatem, cuius vectigal annum aurei sexcenti. Doctrinæ Christianæ, quæ tepuerat, seruor additus: collectitia stipe pauperibus noxiisque subuentum.



uentum. Introdūcta consuetudo sexta quaque feria, vesperascente calo, super solitas preces, ad pulsū campanæ orationis dominicæ angelicæque salutationis quinquies recitandæ pro numero Christi domini plagarum. Cetera exequi non est propositæ breuitatis.

**CASTELLIONE** vbi nullus antea auditus erat e Nostris, mira ad frequentem communionem vitæque mutationem commotio animorum. Institutus eam ob causam hominum cætus sub patrocinio Spiritus sancti quot mensibus communicantium, consulentiumque, vel quæsita eleemosyna, necessitati fodere non valentium, & erubescantium mendicare. Ceterum tantus ad nostrum concursus, vt vix spatium respirandi esset. Quattuor se ad Capuccinos ( quorum domicilium subleuatum commendatione concionatoris ) duo ad nos se adiungere decreuerunt. Explicatus quotidie catechismus: pijsque puerorum cantiunculis permulsæ aures grandiorum, simul letantium temporibus presentibus, & præterita deplorantium, quibus hæc erant ignota, prospicientiumque ne postera fraudarentur: eam oppidanus quidam Sacerdos provinciam suscepit. Et si commune omnium desiderium habendi Collegij: & ne reuoluatur ad irritum, pecunia conferri cæpta. quamquam & Cortonæ quoque vrbi vicinæ eiusque episcopo eadem mens iniecta: etenim affulsisse omnes dicunt ad oculos splendorem Societatis, cuius antea, vt ferme accidit in rebus ignotis, nulla cupiditas esset.



NEAPOLITANA  
PROVINCIA.



**H**VERVNT in Neapolitana Pro-  
vincia trecenti circiter ac triginta.  
Neapoli in Professorum Domo se-  
ptuagintaquinque, in Collegio de-  
cem supra centum, in Probationis  
Domo minimum quadraginta, in  
Collegio Nolano triginta quattuor, in Catacensi  
duo & viginti, in Aletino viginti, quatuordecim  
in Bariensi, in Cirinolano duodecim. Aggregati  
ad Societatem trigintaduo, Mortui septem.

DOMVS PROFESSA.

**M**AGNVS hominum ad rem diuinam con-  
cursus, magna erga Deum pietas nobilium,  
nec parua in Societatem benevolentia: & certaue-  
re Studijs Nostri, vt gliscente piorum cœtu, crebre-  
sceret caelestium observatio. ita, super id quod nume-  
rum sacra frequenter obeuntium non prompte inie-  
ris, qui omnis vita maculas aperiendo eluerunt,  
fuere ducenti: quo facto & puella elusit hostem  
veterem fallendi, qui adolescentem amatorem si-  
mulans, apparebat per noctem, & vir quidam illu-  
stris

stris depulit morbum: quamquam & in multis ma-  
 iestatem auxit Virginis non frustra eius implora-  
 tum imminente morte praesidium. Matronae nobi-  
 lis, quae a nobis erat alieniore animo, filius lesifera  
 comprehensus lue per omne corpus grassante, & ir-  
 rita remedia sentiebat, & medicos desperantes: ac-  
 cersuntur ad extremum Sacerdotes e Nostris: ad  
 quorum genua mater prouoluta cum lacrimis, En  
 meus, inquit, filius miseram relinquit, intercedite  
 vos, & vestris apud Deum precibus abeuntem re-  
 tineate. admonent Nostris spem in Deo omnem ad  
 Deipara collocandam: fecit nihil hesitans: mirum  
 dictu: eo ipso temporis puncto retroagi morbus ce-  
 pit, & alleuari adolescens, sic proflus, ut non multo  
 post apparuerit, qui humanis consilijs non poterat,  
 diuina ope sanatus. Pari nobilitate mulier altera  
 aegrotabat ipsa salutis incerta: alloquium expetiit  
 vnius e Nostris, a quo erecta est in spem valetudi-  
 nis, si Virgini se commendaret: at illa post eius abi-  
 tum exire omnes e cubiculo iubet, tum ad Mariae  
 imaginem manus tendens: Dei mater, inquit, santi-  
 tatem petenti restitue, ut valenti corpore & animo  
 valeam tibi in posterum deseruire: haec cum dixisset,  
 uti aegrum animum solet, somnus cepit: videt per  
 quietem eximia pulchritudine feminam, quae leniter  
 apprehensam manu obuertit in alteram lectuli par-  
 tem: dein bono eam animo esse iubet, quasi quod  
 sperarat adeptam: nec vanum fuisse somnium si les  
 valetudinis firmavit. Ad nobiliorum sodalium,  
 de quo proxime, tenuiorum Oratorium (ita enim

appellatur) accessit. hi iam ferme ducenti: bis singulis mensibus accepta lege communicandi: quibus & cura aliqua de proximorum salute: quos maxime facinorosos esse accipiunt, ad horum amicitiam adrepunt, vt paulatim adducant ad pœnitentiam: & ipsi interdum præsentiam numinis experti: vt vni euenit: qui cum pro suis familiaribus pressis ære alieno sponsor factus tradendus esset in carcerem, ad cæli reginam fuis precibus, ita vidit flexos animos creditorum (erant sex) vt omnes communi mente debitum remiserint. Ceterum instituta hoc anno in æde nostra supplicatio per extremos tres illos dies, queis a carnis sagina nomen, tanta cum frequentia mortalium, ac religione, vt Cineraltiorum diem Bacchanalia præuertisse viderentur. matronæ illustres Nostrorum hortatu nosocomia iam adeunt frequentius, ægrotosque alloquio cura que resciant: hoc profecto speciosius, quanto clarius nobilitatis lumen, quod earum facta in obscuro esse non sinit.

### COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

**F**ACTVS aliquanto minor Sodalium numerus, in magno ære alieno, minuendæ impensæ. Sed vt ne minora extarent officia religiosæ pietatis multiplex occasio vel quæsitæ, vel oblata. ad triremes itum, & ad carcerem, eodem animo fructuque, quo annis superioribus. Sed domi quædam inualuit infirmitas, quæ præbuit materiam caritati. Erysipelas morbi genus est, sacro igni non absimile: serpit  
illius

illius more inflammatque: perniciosum imbecillis corporibus, valentibus molestum: nec abest periculum contagij: hoc, paucis diebus multorum corporibus correptis, quinque Sacerdotes extinxit: in his Patrem *Andream Spinulam*, Collegij moderatorem, insigni laude pietatis: qui cum agris frequenter assidet, parat fomenta, cibos ministrat, sui que memor, ut dicebat, muneris, & oblitus (admonitus licet) inualetudinis, non veretur contactum: morbum primo, dein mortem visus accersisse, eo maiore accendit luctu sociorum pectora, quo propter singulares animi virtutes videbatur dignior vita longiore. Hic ille est quem Romæ e medio honorum cursu, magna que opum affluentia, ad pauperem humilemque vitam vocanti Deo paruisse in Romana Prouincia annuæ litteræ anni octogesi secundi suppresso nomine testantur. Ceterum ut de sodalitijs communia prætereantur: e maiore sedecim in varias Religiosorum familias, & in nostram quidem sex post philosophicum curriculum cooptati. Ex hoc sodalium numero vnus ægrotus in patriam remittitur: addidit se collega comitem illi & administrum quamuis ignoto: ita, noctu etiam, cubitum abeuntibus reliquis, agrum seruabat: nec caruit solatio: visa, ut dicitur, Deipara præbens potionem decumbenti: qui tamen cum & morbi pertinacia & iuuenis incommodo fieret deterior, simul pro valetudine orauit *Virginem*, in spem vitæ redire cæpit, febri depulsa: is nunc Neapolim reuertit confirmatus corpore, eo consilio, ut aliquando ad nostrum ordi-

nem aggregetur. E minore Sodalitio etsi multi ad nostram Religionem animum adiecerunt, loci faciunt angustia, ut mos geri nisi per paucis non possit: fuerunt hoc anno quinque ingenio iuxta & genere illustres. ex eadem vena vir pietate excellens non contentus annis superioribus filium nobis concessisse, minorem natu alterum attulit hoc anno: nec plus se sperare de liberis potuisse affirmans, nec illos spei respondere felicius, quam si diuino cultui manciparentur. In ceteris cœtibus qui ex opificibus ferme constant, non minus vtiliter laboratur. Vnius ex illis beneficio constitutum publice sacellum vsui mendicorum: & inuentus Sacerdos, qui super sacrum quod illic facit diebus festis, singulis mensibus salutari confessione purgatos ad communionem admittit: neque hi solum docentur doctrinam Christianam, sed & vagum muliercularum genus, qua canendi studium a lasciuia carminis, in diuinas laudes contulerunt: & incessit aliquando per urbem hæc mendicorum turba, magna oculorum oblectatione, auriumque, longissimo agmine, & dulcissima modulatione. In montis etiam Vesunij oppido a pradio nostro non procul, conflatum Sodalitium e viris nobiles, qui urbanam commorationem proximo rure distinguunt: explicata Christiana lex rudibus pueris grandibusque: quod etiam natalitijs ferijs alio in oppido factitatum: & nunc, curionibus in Nostrorum vestigia intentis, magna in doles paganorum pietatis enituit.

## PROBATIONIS DOMVS.

**I**N HAC tertiani nonnulli, recentes magnæ expectationis duo & triginta: hos inter vnus Seminarij Neapolitani alumnus: qui cum arcetur Nostrorum congressu, Societatis tamen consilium domesticis licet peruertere, aut interuertere cupientibus, per triennium fuit summa constantia: in omnibus mira contemptio rerum humanarum: ea suspicitur in vrbe honorum appetente, cum adolentes nobiles vili semiamicti tunicula præter suorum ora stipem quæritant ostiatim ritu mendicantium. Rusticis etiam & pueris Christianæ vitæ elementa Neapoli tradita, forisque: itum a Sacerdote cum socio ad oppidum sanctæ Christinæ, magnaque vtilitas consecuta: quamquam ipsa quoque Domus ciuium liberalitatem experta: nam præter quotidianam Proregis beneficentiam, sacræque incrementum suppellectilis, ad coemendum prædium quattuor aureorum millia contributa.

COLLEGIUM NOLANVM  
& Cirinolanum.

**N**OLAE scholarum numerus auctus, sollemnique præmiorum distributione excitata alacritas discendi. Nostrorum opera inter insignes nobilitate familias discordiæ sedate. Spiritualia exercitia magno cum fructu apud nos obierunt primores nonnulli. Seminaria Dux cum bona parte fami-

GRANADA

familiarium sanctæ hebdomadæ ferijs & post Pascha aliquot diebus continenter in Collegio versatus est, nunc in odeo psalmodiæ, nunc in templo liturgiæ intentus: magna utrobique significatione pietatis. Post discessum e solido argento Lychnum pensilem misit, non vulgari opere, ingentis beneuolentiæ argumentum. Missus ex hoc Collegio in urbem quamdam aliquot dierum itinere Sacerdos, ita expleuit, vt verbo dicam, munus omne Societatis (ponetur hoc vnum, quod placato aduersario exemit hominem e triremi) vt peractis concionibus ad inchoata perficienda, intermissa reuocanda, cetera confirmanda, mensem præterea vnum, rogatu ciuium, manere debuerit.

COLLEGIVM Cirinolanum auctum numero fratrum, & nouarum ædium ædificatione. instituta Parthenia Congregatio non debili principio: vnus e sodalibus eo præcipuam curam intendit, vt ad eandem vitæ rationem quamplurimos adducat: alter ex eo cœtu graui mole ruentis lapidis oppressus, nec subito extinctus, tantum habuit spatij dum omnibus instructus Ecclesiæ Sacramentis abiret. id quod plerisque pro miraculo fuit: & horum sodalium exemplo, Nostrorumque cohortatione factum videtur, vt, quod antea negligebatur, sacri dies a negotiosis operarum quiete templorumque celebratione discernentur. Bis in æde nostra quadragenarum horarum supplicatio indicta imbris euocandi: & precationem a Deo admissam ostendit aqua præter expectationem e cælo delapsa. E concionibus

bus & catechismo vtilitas non pœnitenda: in magno, e longinquis etiam locis, confitentium concursu, auditi qui omnem vitæ cursum reuoluere sexcenti: muliebres superstitiones sublata permulta: super ceteras, illa, qua funerea non egrediebantur domo, nisi vbi mortuum diu eluxissent. æs alienum quod non retinebatur salua conscientia redditum. finitæ graues dissensiones multorum. Sacerdos vnus cum iter faceret, in transitu per quamdam urbem adiuuit hominem qui ducebatur ad supplicium, itaq. firmavit animum eius, vt noluerit producere vitam etiam spe liberationis iniecta.

## CATACENSE COLLEGIVM.

**D**OMI foris que proximorum saluti Nostrorum opera nauata. Sacerdos vnus (ex quo coniectura fiet de reliquis) excepit confessiones totius vitæ amplius centum: persuasum non nemini vt in gratiam cum inimico reuerteretur, consilio cædis abiecto. Sed & mulier filij necem, qui quattuor confossus vulneribus domum relatus, vt in matris conspectu expiraret, ita forti animo tulit, vt victo gemitu funus profecuta, postridie sacra mysteria susceperit in templo, miseritque parricidis qui nuntiarent, illis se filij mortem doloremque suum Christi causa condonasse. Duo missi in vicina oppida ad mercaturam animarum. Edoctæ mulieres sexu improvide de vanitate superstitionum, atque ex illis deductæ: earum vna, quam venerabantur ceteræ.



ut magistram, cum concionaretur noster, exclamavit pleno auditorio, magno se ad eum usque diem in errore perseverasse: iam artem ipsam cum omni instrumento deposituram. restituta etiam pecunia non bona fide retenta. ceterum res domestica aucta. Vir nobilis moriens annuos aureos octogenos Collegio legavit. aucta quoque Sodalitas beata Virginis: ipsaque Societatem auxit vno adolescente.

### COLLEGIVM ALETINVM.

**O**DIORVM flammæ restinctæ, sublata monopolia, redhibitum æs quod abierat mala fide, flagitia compressa, Sacramenta frequentantium plurimus numerus, Christianæ legis præcepta diebus festis, tum in Collegio nostro, tum etiam in quadam vrbis parœcia explicantur. data opera ut ludi magistri ad nostrum exemplum suos erudiant: ægrôtis, ijs maxime qui propius absunt ab interitu in tempore succurritur: eo in genere, duo qui plane iacebant abalienati a sensu ad aduentum Nostrorum receperunt animum, quidam etiam vocem, qua iam diu caruerat, auctoremque muneris Dei matrem clarissime exclamavit. Sodalitates antiquum suum obtinent in proximorum salute procuranda. Ex ijs qui manu victum expediunt ad varia cœnobîa tredecim adiuncti: & aliqui mori videntur in desiderio nostræ Societatis. E discipulorum Sodalitio quattuor in alios ordines, totidem in nostrum, tantum abest ut inuitis parentibus, præ gaudio lacrimanti-

mantibus adscripti, Vnus tamen inuentus pater nobilis ac ferox, qui etsi diu reslitit adolescentulo filio Societatem exoptanti, victus tandem constantia precum, admirante ciuitate, eum cum litteris ad Patrem Generalem misit, quibus vt admitteretur vehementer orabat. Ceterum laxata spatia templi aliquot aureorum millium impensa, opere vtique visendo. perampla domus comparata Nostrorum commorationi peropportuna. aliquorum testamento quadringenti aurei Nostris relictæ. multa alia in dies accepta beneficio piorum. Vnus quidem aureos obtulit mille, ac præterea lychnuchum pensilem ex argento mirabili artificio.

## COLLEGIUM BARIENSE.

**N**OBILIVM Congregatio & viris & virtutibus crescit. publicum carcerem inuisunt fere quotidie, vinctos eleemosyna sustentant, modico ære alieno obstrictos soluunt, aliorum conueniunt creditores, vt laxiorem diem statuunt soluendo: ingrauescente annona magnus frumenti numerus coactus inopia leuandæ. Quadringenta horarum in templo nostro decreta comprecatio Septembri mense, continenti orantium similiter & se verberantium ordine insignis. hæc inter, reliqui ciues ad pietatem inflammantur: eam auxit quiddam quod auditum est duabus feminis, earum euincendo contumaci animo, accidisse. earum altera morti proxima etiam si accitus esset Sacerdos non confiteri obli-

obstinauerat muliebri peruicacia: sequenti nocte per  
 quietem ad diuinum tribunal adducta, flammisque  
 addicta erat feralibus, nisi matrona excellenti spe-  
 cie ac pietate miserta, subsidij a confessione quæren-  
 di admonuisset: discussit recordiam cum somno,  
 Sacerdotem vocari iubet, absolutaque, vix præ gau-  
 dio compos, illud habuit vsque in ore, quoad loquendi  
 potestas fuit. Deo grates, ab inferis sum crepta.  
 Atque hæc Barij. Alibi altera maiore miraculo.  
 Nonum hæc, vt postea compertum est, annum,  
 stultitia, an alterius suasu, impie de Christo eiusque  
 matre sentiebat: sanctum quidem vtrumque, sed  
 neque illum Deum, neque illam virginem: ingressa  
 cænobium mulierum, tam dirum venenum coquens  
 in pectore, ab imaginaria confessione accedebat ad  
 venerandum Eucharistiæ Sacramentum: & acci-  
 piebat quidem pandens sepulcrum gutturis panem  
 Angelorum, sed vbi licebat per adstantium adspe-  
 ctum, mox expuebat in linteolum indignissime pro-  
 culcandum: & hanc tamen non abiecit Dei clemen-  
 tia: tertio Paschatis die cum dominicum corpus de  
 more obtereret, acuque, quales ferre ad ornatum  
 capitis mulieres solent, atrociter confingeret, e qua-  
 libet punctiuncula fluidus sanguis eminebat: viso  
 perterrita in ignem proiecit: vereri visus ille condi-  
 torem suum in geminas diuisus partes loco cessit,  
 & seruauit illasum: tum vero piget mulierem in-  
 cepti, execrandum scelus agnoscit, vocatoque Sa-  
 cerdoti curatori animarum palam aperit: de huius  
 sententia & illius voluntate res Bariū defertur

ad Nostros, per hos deinde ad Superiores: & consul-  
tum femina. Valuit, quod in illos dies incidit iubi-  
leum Pontificium cuiuslibet noxa expianda: eidem  
interea oblata dicitur imago Euangelista Ioannis  
cum Deipara Virgine: qua etsi primo indignationis  
manifesta, postmodum, vt sunt placabiles caelestium  
animi, spem veniae viamque ostendit. Et visitur  
etiam nunc sacrosancta Hostia sanguineis guttulis  
interpuncta: quam, etsi Sacerdos ille vehementer  
contendit, vt accipiant seruandam in templo:  
dilata deliberatio ad aduentum Patris  
Prouincialis, qui propediem nun-  
tiabatur affuturus.

P R O V I N C I A  
S I C I L I E N S I S.



**S**UNT in Siciliensi Prouincia locis undecim, de Nostris tercentum quadraginta quinque. Panormi, in Professorum Domo quinquaginta, in Collegio undetriginta, Messanae, in Collegio octogintaquatuor, in Probationis Domo nouem & triginta. In Catanensi, Syracusano, Calateieronensi Collegijs, undecim. In Rhegino ac Bionensi viceni septeni. In Drepanitano sedecim. Duodecim in Collegio Montis Regalis. Decessere ex tota hac Prouincia sex. Accessere ad Societatem viginti quinque.

**MINAEI** praeterea (haec est vrbs in mediterranea insula) liberalitate domini Thomae Verrierij & Desiatæ eius vxoris, qui necessaria omnia ad nostrum vsu[m] receperunt, & multo plura factis praestant, iacta Collegij fundamenta: eorum exemplo excitata ciuitas, priuatique nonnulli, inceptum promouent. Spes est fore ibi socios, re constituta, amplius quadraginta. Octo interea in ea vrbe versantur: in temporariam adificationem quattuor: totidem in spiritualem, atque ex his Sacerdotes duo, insistent: & iam nunc affulget aliquis fructus. quæ res ciuium animos, ex Nostrorum muneribus parte aliqua præcepta ad vrgendum opus accendit.

**ILLVSTRISSIMA** & religiosissima  
Dux

Dux Montis Alti cum eiusdem pietatis Principe eius filio Collegium in Calatana iuncta oppido petit, cunctaque ad eius sustentationem perbenigne pollicetur: ea causa fuit, cur quinque e Nostri eo mitterentur: quibus non instrenue laborantibus dilata desideria augentur.

PANORMITANA PROFESSORUM DOMUS.

**A**D TEMPLUM pietatis causa confluentium multitudo eadem que annis superioribus: id est, maxima: ut viginti duo Sacerdotes omnium excipiendis confessionibus sufficere vix possint. adiuti aegri decumbentes in lecto, eodemque tempore aliorum utilitati consultum, nam, ut haec duo de multis, concubinatus mutatus matrimonio: & decem millium aureorum summa, de quibus iudicio ambigebatur, remissa. Quattuor e limine mortis extracti: unus ne veneno, quod erat iam paratum in prandio, tres ne ferro tollerentur: & erat iam certa merces sicarijs promissa: in locum videlicet odij amor cessit: Et opportunitas Nostrorum consilij, immanitatem sceleris occupavit. Adolescentium usus quidam, morum perniciosus, Nostrorum suasio, edicto publico prohibitus, fraudatam pecuniam restituere multi: unus aureos mille: rescidit alter sex contractus illicitos, duasque donationes vi extortas. Carmina scriptitabat unus honestis auribus indigna, eademque cum amicis per-

*lasciuia & iocum in vrbe passim cantitabat, vnde rixæ cædesque multæ: hic a Nostris admonitus, neutrum facturum in posterum se voti religione Deo obligauit. Sacerdos vnus e nostris Catechumenos quotidie ad Fidem instruit: e quibus hoc anno baptizati sex. Sodalitas Dei Matris de qua proxime scriptum, quibus viris constet, hinc facile perspicies. Conuicijs prouocabantur diuersis temporibus duo, & vero incitabantur ira ad referendam iniuriam: sed vterque rexit ea cogitatione animum, quod de Sodalitio esset: hic admotam capulo sua sponte manum (habebat enim gladium) repressit, & aduersarium molli sermone placauit: eum ille a quo laceffebatur, duci iussit in proximum templum, & ab admirante veniam petijt genuflexus, quod ipsi causa iracundiæ fuisset: gloriosa prorsus, qua se vicit vterque, victoria. Vni adolescenti oblata erat puella infami lenocinio, constanter reiecit: domum adducta, per posticum egressus euasit flagitium. Perductæ ad alterum duæ: Virgo vna ad alium: vehementer perductores primum increpiti deinde cum intellectum esset male suada egestate id fieri: si scelere discederetur, promisit ille pecuniam: hic etiam dedit: eaque vt virgo aletetur in Monte Pietatis effecit. Sed & sodalium opera, orba parentibus virgo, data dote, nuptui tradita: corrogato item ære germanæ sorores duæ in Virginum cænobio collocatæ: eorundem præterea beneficio grauis multorum inopia subleuata. Ita, tum ex ijs quæ de Nostris frequenter audiunt, tum ex ijs multo magis,*

magis, quæ eorum animis instillat Deus, quotidie enim semihoram rerum diuinarum meditationi tribuunt, sunt omnes ad benefaciendi consuetudinem adducti.

## COLLEGIVM PANORMITANVM.

**I**AM E CONDVCTIS migratum est adibus, & Collegij pars, cui manus extrema imposita, dum interea perficitur cetera, habitari cœpta. In ea est aula, scholasticis dicta exercitationibus, perampla: vbi & celebrata studiorum instauratio: datum drama peregregium spectante Prorege, ac nobilitate vniuersa: publiceque premia adolescentibus tributa: magno incremento scholarum, & discipulorum incitamento. Aucta enim Congregatio beatæ Virginis: e qua sex in varias Religiosorum se abdidere familias: alij plus viginti eodem animo opportunitatem expectant. Difficilis inter duos & implicata controuersia, qua illaqueari videbantur bona animique litigantium, vnius e Nostris auctoritate explicata est, reditu vtriusque in gratiam, & facta trium aureorum millium restitutione.

## COLLEGIVM MESSANENSE.

**G**RAVI quidam perpetrato facinore, cum multis eum stricto ferro persequentibus, in Collegium confugisset, & corporis & animi salu-



tem inuenit: illi enim excommunicationis obiecto metu a persequendo deterriti: ipse ad meliorē mentem reductus. Aurei quater mille a tribus: octogeni item annui, qui nescio quo prae-textu iam diu retinebantur, suis dominis redditi. Lites duae, de tribus vna, de octo altera aureorum millibus, diremptae. Inueterata odia publica priuataque etiam inter plerisque nobiles restinēta. Occursum maleficijs cadibusque multorum. Duobus, qui quartum iam & decimum annum incestis iungebantur nuptijs, eorumque liberis vtiliter prospectum. Concubina a pluribus exacta. ceterum ex hoc Collegio ad oppida quadam per totam Quadragesimam missi operarij nonnulli: & retulerunt fructus non paenitendos: ex ijs praecipue locis, quibus Nostri non auditi, sed solum fama cogniti: permouebantur videlicet oppidani concionibus: mirabantur laboris patientiam, victus tenuitatem, pecuniae contemptum: ab hac opinione omnis vtilitas: nempe in vno oppido templi maximi aedificatio iam diu pendebat interrupta: suadente Nostro, promouendi operis, tantum est pecuniae collectum, vt bona pars templi excitata sit, quae magnam hominum multitudinem accipiat, sacrorum vsibus opportuna: & volebant quidem incolae extare in columna insignia sacerdotis, grati animi monumentum: sed ipse prohibuit: ita in magna erat caritate, & sequebatur auctoritas. igitur erudire confluentes, & excolere, corroboratas maiorum consuetudines, blasphemiae, senoris, iniusti matrimonij, superstitionum excindere, bonas inse-

vere,

tere, sacras Sodalitates duas, optimatum vnā,  
 alteram popularium insinuere, certis eas legibus  
 quæ ad pietatem, ad opera misericordie, ad men-  
 struum præcipue Sacramentorum frequentationem  
 pertinent, deuincire: doctrinam Christianam diebus  
 festis tradere: vt tantus iam sit & rebus & homi-  
 nibus impositus nitor, vt propter pulchritudinem  
 vitæ melioris se ipsi mirentur. Extrema pane Qua-  
 dragesima quadraginta horarum indicta supplica-  
 tio: ad quam, qui expiassent prius confessione ani-  
 mam, tantum admissi: ea res utilis etiam publice  
 fuit: post longam enim siccitatem noxiam frugibus,  
 elicitæ imbres. Et placuit, vt id quotannis seruaretur,  
 publico decreto firmari. Hic accidit quiddam,  
 quod propter eius admirabilitatem tacendum non  
 videtur. Mulier vna tertium iam annum accedebat  
 ad diuinas epulas, impure: quo scilicet specie com-  
 municantis, alijs imponeret. Et ore quidem sumebat  
 sacrosanctam hostiam, sed eam postea illibatam  
 demittebat sibi in pectus: domi cum esset, obuolu-  
 tam linteolo, consutamque condebat in arcam. Hæc  
 vbi, Deo illam aspiciente, meliora respexit, & com-  
 municauit citra simulationem, narrauit a se diligen-  
 ter conquistæ in arca hostias, nullas inuentas: non  
 sine miraculo. Altero in oppido ingens confessio-  
 num fructus: & totius vitæ exceptæ sexaginta: eæ  
 vt recte fierent, atque ordine, ratio consistendi in tē-  
 plo explicata. Socer norum cuius erat sinistra fa-  
 ma, inimicum alter interficere cogitabant: eam  
 mox ille ad sacerdotem nostrum adduxit, vt se ipsa

aperiret : hic inimicum vt ageret gratias : quod vterque dilcitaret se ea quam proxime audierat cō-  
 cione placatum . Tantum reliquit Noster hinc dis-  
 scedens sui desiderium , vt scalas eas quibus ascen-  
 derat in suggestum , suggestumque ipsum , pro quo  
 docuerat , lacrimantes oscularentur . Alio in oppi-  
 do, virgines Deo dicata ita incensa sunt studio per-  
 fectæ religionis , de qua sacerdos differuerat, vt vl-  
 tro rerum suarum clauēs, ne quid peculiare haberent  
 clausum , offerrent : eius rei potestatem ille reserua-  
 uit Episcopo , qui aduentare dicebatur . Inter viros  
 nobiles duos , & inter milites qui præsidium agita-  
 bant, & oppidum totum discordia sedata : hæc qui-  
 dem tanto maiore cū fructu , quanto irritatis vtrin-  
 que multorum animis , grauius periculum immine-  
 bat . Collata elemosyna inopum subsidio, & orna-  
 mento templorum .

MAMERTINA PROBATIONIS  
 Domus .

**T**YRONVM magna in frangendis animis  
 vis & perseuerantia . In nosocomijs quidem  
 vbi & saucij curantur , in eorum tractandis marci-  
 dis cicatricibus vulneribusque purulentis , ita fir-  
 mis apparent pectoribus, vt a vulnerario sint regē-  
 di : eorum vni atque alteri quædam accidere prodi-  
 gijs similia . Laterum dolore cruciabatur pater Re-  
 ctor , nouitiorum precibus se commendauit : vnus  
 ingenti caritate Deum orant , vt Patris cruciatum  
 in se

in se transferret. Leuatus statim Rector: ipse autem adeo tortus, ut uix ferre dolorem posset, senserunt preces auditas. Iussus alter inter cœnandum de more concionem habere, imperium non tam pertinacia recusauit, quàm verecundia refugit: cum inambularet deinde in aula animo satis anxio, patrem Rectorem videre visus, qui eum acerrime increpuit, verberationem pœna loco imposuit, additis minis, interdictum eum iri societate, si iterum non obsequatur: hoc magis ille mœrore prostratus, rem ad vnum e sacerdotibus retulit, hic ad Rectorem ipsum, qui admirans vehementer, toto illo die se ne verbum quidem cum eo nouitio fecisse affirmavit.

## COLLEGIVM RHEGINVM.

**N**VMERVS Nostrorum, quam superiori-  
bus annis, aliquanto amplior, quoniam con-  
scientiæ casus explicari cœpti, non parua auditorũ  
precipue ex clero, vtilitate, & frequentia. Discipu-  
lorum Sodalitas, ea maxime que grandioribus con-  
stat, in dies vt numero, ita etiam pietate augetur.  
Quattuor ex ijs inter Capuccinos adscripi. Quadra-  
genarum horarũ supplicatio sæpius celebrata. Lo-  
cum, quo conueniunt, ita eleganter exornarunt, vt  
Prorex ipse eum visendum interdum cum suis pro-  
ceribus putet. Ceterum Proregis ipsius pietas, tum  
re ipsa est ingens, tum vtilis exemplo. Sunt & illa  
communia. Lites compressæ, iniuriæ remissæ, pecu-  
nia

nia reddita, cædes prohibita, expiatis sceleribus  
 vita melior a multis instituta: familia integra per-  
 purgata: retractæ mulieres a pellicatu octo: a fu-  
 ga, vt ne amicum sequeretur, vna, a veneno altera.  
 Est & consultum illius saluti, quæ vt effugeret im-  
 proborum manus, præcipitium cogitabat. hæc, vt  
 dixi, communia. hoc fortasse proprium. Vir solu-  
 tioris vitæ saepe admonitus a Nostreis vt meliorem  
 institueret, dum negligit, abreptus consuetudine &  
 dulcedine peccandi, vidit domi dæmonis speciem  
 flammati, cornigero capite, & intentantis manum:  
 exterritus domo profugit, remque vni e Nostreis ad-  
 huc trementi corpore narrauit: idemque, vt alias  
 quamplurimi, magistrum habuit officij metum.

DREPANITANVM, BIVONENSE  
 & Calataieronense Collegia.

**I**N SINGVLIS totius vitæ confessiones  
 auditæ nonnullæ. DREPANI persuasum  
 duobus, vt concubinas eijcerent. duobus item hone-  
 stis viris, vt perueteri posito odio in mutuum amo-  
 rem reuenterentur.

BIVONÆ similiter pax inter propinquos  
 restituta. Sodalitas duplex minorum maiorumque  
 adolescentium, & opificum cætus, Oratorium vo-  
 cant, suos progressus habent. Ciuitas erga nos mu-  
 nifica. Mulier quæ illigata sibi videbatur igne in-  
 extricabili, vt peccata abiicit confessione, quod fu-  
 giebat oculos incendio liberata.

*CALATA IERONAE* tres spectata virtutis adolescentes Societatem ingressi. Pro re Anglicana horarum quadraginta comprecatio obita insigni caerimonia, ab omni etate, & ab ordinibus vniuersis. Hic & Bivona adiutus utrobique vnus, vt capitalem pœnam, quam suis sceleribus debitam dabat, æquissimo animo ferret.

COLLEGIUM SYRACVSANVM.

**V**T DE CONFessione, concione, doctrinæ Christianæ explicatione, multorum reconciliatione, pecuniæ restitutione, agrotorum, & eorum qui custodia publica attinebantur, visitatione, quadragenarum horarum, quæ ter indicta hoc anno, supplicatione, nihil dicatur: Catechesi rite formati, apparatuque magnifico baptizati Turcæ, Aethiopesque, ad triginta. Virgo cuius pudicitia forma obsistebat, cœnobiticæ vitæ, paupertas, collectiua pecunia, & voti particeps, & periculi experta reddita. Beatissimæ Virginis Sodalitas iam duplex: virorum nobilium vna: ij præsentant Monti Pietatis, corrogataque pecunia subueniunt inopiæ verecunda: eorum altera qui scholas frequentant. Tertius est denique, vt scriptum proxime, conuentus opificum: neque vllus in ijs quæ sunt eorum muneris, a sodalibus prætermittitur pietatis aut officij locus. Ciuium apparet erga nos liberalitas: adiuta Collegij edificatio: ager auctus: ædes constructæ: sacellum dilatari cœptum.

## COLLEGIVM MONTIS REGALIS.

**A** D I T I, *auditi, adiutique saepe qui carcere tenebantur: hoc celebriore spectaculo, quod e collecta pecunia cibi coempti, & apud nos cocti conditique per mediam urbem ad carcerem vsque portabantur. mulier ab infami corporis questu vi concionum abducta: vir qui fortasse maleficis cantionibus prohibebatur ne cum vxore operam liberis daret, frustra tentata ope veneficarum, peccata primum cum esset confessus, tum ablutus aqua lustrali, postmodum de accepto beneficio gratias egit. Instituta minorum adolescentium Sodalitas: & iam nonnulli in Benedictinam familiam cooptati, plures nostram efflagitant. Archiepiscopi magna erga nos beneuolentia: postridie sui in hanc urbem aduentus ad nos humanissime accessit: inuisit non raro gymnasium, sepius templum: vbi & sua manu sacramenta populo præbet.*

## CATANENSE COLLEGIVM.

**T** A N T V S *sacra mysteria frequentantium numerus, vt nouem sacerdotes ( neque enim plures hic versantur ) non omnibus satisfaciant. æris alieni restitutiones factæ: Libri Magici combusti: concordati dissidentes: excitati multi ad Christianam mortem, tum qui moriebantur in le-*  
*ctulo,*

Etulo, tum qui capite plectebantur. Maiorum na-  
 tu Congregatio augetur quotidie: magna in omni-  
 bus observatio legum, quas acceptas a Patre Ge-  
 nerali avidissime complectuntur. Vnus eorum apud  
 externum sine iusta causa offenderat: a quo vide-  
 licet ira percito, cum denunciata essent inimicitia,  
 sacerdotis admonitu hominem quotidie per semihor-  
 ram Deo commendabat: nec irrita preces: incidit  
 ille in morbum: nec satis opum ad recuperandam  
 valetudinem: submittebat interea sodalis quotidiana  
 eleemosynam: quod is ubi rescivit, profusis  
 pudore lacrimis veniam petijt accepitque. Disci-  
 pulorum numerus maior quam pro gymnasio: nec  
 defuit civium benevolentia in annonæ sterilitate.  
 Missi ex hoc Collegio, Quadragesima, Nostri ad  
 loca duo. LEONTIVM, ubi pacati cõplu-  
 res: pellices expulsæ: a duobus, quas habebant con-  
 cubinas, vxores ductæ: virgines duæ conquista  
 eleemosyna in matrimonio collocatæ: Sodalitium  
 institutum ad opera misericordiæ: subleuandis pau-  
 peribus octavo quoque die fit collecta: in maiore  
 hebdomada quadraginta horarum cærimonia vica-  
 tim obita, magna approbatione civitatis. Alij missi  
 in oppidum cui nomen a SANCTO MARCO:  
 & aliquis extitit fructus. Quattuor virginum cœ-  
 nobia ad seueriorem disciplinam reuocata: lis quin-  
 que aureorum millium, quæ per viginti annos te-  
 nuerat, composita: altera tanta pecunia, in qua  
 fraus intercesserat, a dominis recepta: aurei bis  
 mille



mille quingenti stipis nomine ad templi laxandas  
 angustias contributi. Hæc & alia Nostris  
 laborantibus effecta: nec labor ille mo-  
 lestus (adeo caritas gaudet be-  
 nefactis) qui ad proximo-  
 rum salutem & ad Dei  
 gloriam refere-  
 batur.

MEDIOLANENSIS  
PROVINCIA.



**S**EPTEMDECIM supra du-  
centos Mediolanensis Prouinciã  
aluit. In Domo professa Sancti Fi-  
delis trigintanouem, in Brerano  
Collegio quinque & sexaginta, in  
Genuensi & Taurinensi tricenos,  
in Comensi tredècim, vndecim in Vercellenfi, in  
Domo Probationis Aronensi viginti septem. Ad  
meliorem vitam vocati vndecim, ad Societatem no-  
stram omnino sedecim.

DOMVS SANCTI FIDELIS.

**I**NITIVM habuit Sodalitas conflata e primo-  
ribus ciuitatis circiter triginta: e quibus sunt  
Comites Marchionesque nonnulli: sexta quaque fe-  
ria conueniunt in sacellum: sacro intersunt, & co-  
hortationi Nostrorum: vbi & eluerunt peccata,  
perceperuntque dominicum corpus non semel non  
mediocri cum fructu. Qui meliorem vitam exorsi  
superiore retexta, non exiguus numerus: nec defue-  
runt, qui a salutari confessione peccatorum non ani-  
mo tantum anxio, sed agroto etiam corpori reme-  
dium

dium petiere: viro certe cuidam nobili qui proximus morti de anima desperauerat, quod eos diceret qui misericordiam consumpsissent, sperare amplius non posse: sacerdos consilium, auxilium, salutem attulit, in spem tandem diuinæ clementiæ, quæ nulla hominum malitia exhauriri potest, impulso: & apparuit sententiæ mutatio: nam & ille se uoto religionis obstrinxit, & bona sua omnia in vsum pauperum testamento legauit: & consecuta ipsius talis est mors, vt eam admiraretur quisque, nec facile obliuisceretur. Multi Nostrorum hortatu remisertunt inimicis noxam, vnius etiam pœnam commemorabili exemplo. Homicida tenebatur in carcere, scelus erat capite luendum, nisi exoraretur aduersarius: & iam pronus erat ad ignoscendum Dux Senatusque: recta ad illum sacerdos: sed hominem ita obfirmatum reperit in iracundia, & ardentem ad vlciscendum, vt verba iacerentur: orat saltem vt ne grauaretur interesse sacro, quod erat facturus: non abnuuit: admirabilem vim sacrificij: adeo in contrarium est repente mutatus, vt non solum fecerit gratiam delicti, sed vltro eodem cum sacerdote venerit in custodiam, reumque benigno vultu, verbisque magnum præ se amorem ferentibus curauerit absolui. Sed & puellæ iam nubili in eius supremis quiddam accidit admirandum. In magnam febrem inciderat, accersitur medicus, imperat inter cetera de more confessionem: commodum abierat sacerdos, vociferatur illa miserabilem in modum, comburor, comburor, ferte opem: accurrentibus

dome-

domesticis, alterum, inquit, sacerdotem adducite non integre confessa: ne illa duo inferorum monstra flammantia, quorum vapor modo affluit, miseram absorbeant: mox impetrasse veniam ex penitentia indicavit securitas animi, qua post horam vigesimam quartam a confessione decessit. Adiuti etiam qui extremo supplicio afficiebantur: in his fratres germani duo ea magnitudine animi ac pietate, ut cum grates agerent Deo, haberentque eius ministris, admiratio simul miseratioque eorum homines incessevit.

## COLLEGIVM BRERANVM.

**E**X IIS qui morbo consumpti, Pater Cosmus Stella, alter e Scholasticæ Theologiæ professoribus, repentino moritur: dedit moriens, quod & fecerat viuens, raræ inter homines virtutis specimen Nostri, externisque. cum deficiente spiritu hortaretur Collegij moderator, ut supremo eo tempore diceret aliquid ad adstantes, quod prodesset meminisse, sermone primum vultuque erga Rectorem reuerenti se modeste excusauit: sed cum persisterent idem orare omnes, quarerentque hoc tantum, quæ videretur compendiaria ad perfectionem via, collectis animi corporisque viribus, via crucis, inquit, via mortificationis, via instituti Societatis: & cum hæc dixisset, quieuit. Excitati hoc dicto fratres nostri quibus & stimuli additi a Patre Laurentio Magio lustrante provinciam, cum hortatus priuatim

priuatim eos & publice, non sermone magis omnes  
 promouit, quam, quod ad persuadendum magis va-  
 let, exemplo. Ad scholas magna nobilitas & fre-  
 quentia, earumque tanta existimatio, vt quamlibet  
 leuem dent speciem ingenij adolescentes, certatim  
 ciues ac magistratus etiam publici, vel non inuitati  
 accurrant. Illud cum primis memorandum. Exhibita  
 est pulchro artificio versuque pereleganti, Augu-  
 stini conuersio, non solum virorum principum, sed  
 & Ducum præcellentissimorum, Atlantæ, & Terre  
 Nouæ, plausu incredibili: tantoque omnium ordi-  
 num atatumque concursu, vt, rogatu præcipue sum-  
 mæ arcis Præfecti, Costacciarij Episcopi, aliorumque  
 nobilium ac cænobitarum, quos excluderant locorū  
 angustia, fuerit repetenda: resque ipsa vîsa semper  
 cum maximâ oblectatione vtilitatis plurimum at-  
 tulisse: ita ex tenero poemate insuebat in animos ho-  
 minum sensus quidam pietatis, qui ex oculis exun-  
 dabat. In hanc urbem cum Soræ Dux Iacobus Bon-  
 compagnus commigrasset, memorque eximia cari-  
 tatis, quam viuente ipso Gregorio Pontifice, cuius  
 sancta memoria, erga Societatem vniuersam osten-  
 dit, perbenigne inuississet Collegium, exceptus est a  
 Nostris honorifice, non sine grata commemoratio-  
 ne beneficiorum quæ accepimus: quod & illi iucun-  
 dum fuit. Ceterum ardore Studiorum non extingui-  
 tur feruor pietatis: nec defuit in adolescentibus, his  
 præsertim qui e cœtu Parthenio, laus, vel in medio  
 flammarum, seruata pudicitia, aliqui deuouerunt se  
 Deo in cænobijs: omnes denique munera caritatis  
 diligent-

diligentiſſime exequentur. In proximo pago (eſt enim interdum itum in pagos) vnus e noſtris fratribus concione permota mulier, quæ amico aſſueuerat, multum licet fremente illo & ruente ad terrorem, minasque, ſaniora reſpexit. Maior vtilitas Porderino (oppidum eſt nobile in Taurinis) allata: inteſtinis ardebat odijs, nulla Præſecto parendi cura, nulla ſacræ poteſtatis reuerentia: conſtituti conſuetudo omiſſa, aut inter paucos retenta: magna diuini cultus incuria virorum feminarumque: ad hoc vepretum perpurgandum inuitatu aliquot oppidanorū rogatuque Proepiſcopi, a Patre Prouinciali, in prolatione ſtudiorum miſſus ſacerdos, auctore Deo ea præſtitit, vt mutatis hominum animis, alia ſpecies rerum, ipſius quoque oppidi ſpecies alia videretur. inimicitie reſtinctæ: exempta Præpoſiti colendi negligentia: inſtaurata catechiſmi traditio: lites compoſitæ: alia id genus effecta permulta: & ſi cum obſtinato pluſculum fuit negotij: hunc filij cades, quem vnicum habuerat, ad immane odium parricidarum efferauerat, præ vltionis cupidine anima ſalutem nihil penſi habebat: defectaque iam cum eſſet ætate, & oppreſſus articulorum doloribus, quas manu non poterat inimicitias, exercebat lingua: perreptabat videlicet ſudo meridie in forum, & reſſificatione damni domeſtici, inſenſum in abſentes animum aſperabat: ſed huius quoque duritiem inſegit verbum Domini conterens petras, quod e ſacerdotis ore mittebatur: vt profeſſus tandem ſenex deponere ſe offeſam crepti filij, ſe ſe cum Deo

reconciliarit perceptione Eucharistiæ, populo plaudente, eamque oculis hauriente fidem, quam vix auribus habuisset.

COLLEGIVM GENVENSE.

**M**IRABILIA duo, præter cetera, Genuæ acciderunt: ex quibus si reddantur, pretium erit cognoscere artem mali demonis trahentis mortales ad flagitia, quo minor sit spes veniæ, crescente multitudine maleficiorum. Adolescens nondum annum vigesimum egressus inexplebilem animum sanguinis ac scelerum gerebat: id quo fidentius faciat, diabolumque habeat ad mala obsequia promptum, statuit se ei deuouere: hoc cum stetisset, domo exit solitarius: paulum processerat, cum præter pedes conspicatur quasdam veluti stellas de cælo delapsas: cum gradum sustinisset admirabundus, atra quædam imago se se obtulit in densa nube supra humanum modum: Satanam esse ratus, perhonorifice excipit capite aperto, dexteramque protendit: cum tam magnifica saluatione nullum responsum elicuisset: nisi quod comes erat additus via, existimans paruum illi honorem habitum, Apostolorum principes Petrum & Paulum, ipsumque adeo eorum magistrum infami ore execrari cœpit: cum ire pergerent, propter beati Petri adem nubes euannit: sed paulo post reddidit se eodem habitu incesaque: cumque rursus se ex oculis subtraxisset, reliquit miserum cuiuslibet patranda facinoris furor

rore incensum. At videte Dei clementiam: cum  
 ferox scelerum iuuenis ad plura accingeretur, ope-  
 ra sodalium quorundam e religiosa familia, quibus  
 forte eam rem narrauerat, ad vnum e nostris sacer-  
 dotibus adductus, ab eoque ad meliorem mentem  
 reuocatus est, peccandi libidine reiecta. Igitur hoc  
 primum: sequitur alterum. Vir erat improbus ac  
 pene perditus ad extremum: hunc etiam, vt se se  
 dæmoni dederet, incessit cupido: soliuago obijcit se  
 is, quem quærebat, in pueri specie, ita fæda, vt cru-  
 ce frontem muniret vulnerari metuens aspectu: &  
 ruebat tamen in interitum animæ: verum ab amico  
 rei fortasse conscio, vt mutaret viuendi rationem,  
 ductus ad sacerdotem vnum e nostris, rediturum  
 postridie promisit: discedit: in itinere offusa oculis  
 caligo, itaque atrociter verberatus in facie, vt pro-  
 pe affligeretur ad terram: recurrit ad crucis arma  
 salutaria: nemineque conspecto peruenit ad ædes,  
 quo intendebat, puerum cum ibi offendisset, arbi-  
 tratus aliquem esse de vicinia, vt abeat inde, & do-  
 mum se referat, hortatur: ego vero, inquit ille,  
 hinc non abeo, & domus mea hæc est, quam vna te-  
 cum teneo, paratus tibi ad omnia quæ imperabis:  
 tum demum intellexit illud pueri quid esset: &  
 tunc quidem signo crucis obiecto, vt semel atque  
 iterum antea: postero die confessione facta omni  
 terrore animum atque etiam errore liberauit. Ce-  
 terum & in publica custodia apparuit vis diuinæ be-  
 nignitatis. Reus attinebatur multa scelerum fama  
 dilaniato tormentis corpore, a damnatione non pro-



cul, quod ipse nesciebat : auersabatur porro sacerdotem nostrum, qui frequens in carcerem, tamquam dirum omen mortis, vel nuntium : cum eum tamen perstaret Pater hortari ad confessionem, parere constituit monenti : igitur cum reptaret ad sacellum, ter se ad ingrediendum, cum subinde caderet, impediri sensit : vt fuerit inter aliorum manus deferendus : tertio post die per Eucharistiae Sacramentum placato numine, cum duas horas in religiosa precatatione posuisset, opportuna morte imminentem pœnam effugit, ceterisque vinctis per salutarem confessionem expiandi animas fecit exemplum. Interim ciues de totius vitæ peccatis audiui circiter ducenti : ne agitarent fenus & in vsuras extenderent, persuasum multis : alijs vt redderent iniuste parta : & vni quidem, vt aureorum mille, alteri, vt duo millia. Procurata dos aliquot puellis, quarum pudor in lubrico versabatur : eodemque consilio, interposita quorundam auctoritate virorum, factum initium alendarum feminarum, quæ orbæ parentibus magistra paupertate scholam celebrant, vel cogitant impudentiæ. Et quoniam ex attenuata superioris anni inopia, & artificum exiguitate quæstus, adhuc multos vrebatur annona, frigore fameque stratis per vicos & compita corporibus : destinato loco his omnibus a senatu, magnaue vi pecuniæ ad hoc opus erogata, subuentum : dataque opera a Nostri eorum animis confessione purgandis, sacraque doctrina imbuendis : aliquid etiam deriuatum studij in cœnobîa virginum : ita, quemadmodum præcedenti

denti anno in nonnulla meditationes rerum diuinarum inuebi cepta, hoc anno in vnum ex illis precipuum quotidiana commentatio, & ea quidem horaria introducta: nec desuimus externis. Angli duo iuuenes nostrorum diligentia prauas de Fide opiniones eiecerunt, quas animo imbiberant. Ceterum conglutinati dissidentes: quos inter presbyteri duo huius diæceseos, re antea sine vlllo effectu a multis tentata: atque ij nunc sunt illud vitæ genus ingressi, vt qui præterita comparant cum presentibus, admirentur: vir denique unus qui præpotentum duorum meru, quibus erat offensus, per quadriennium se domo tenuerat cum graui iactura rei familiaris, nostris orantibus, obtinuit, vt securus odij ab vrbe discedere, & in alia regione negotiari libere posset.

## M I S S I O.

**P**OSTVLANTE Episcopo Centurionio qui mortem obiit, missi de Nostris in Finarium oppidum duo, adeo vtiles oppidanis fuere, vt cum eorum discessum æquo animo ferre non possent, inierint rationem Societatis introducenda: instruxerunt domum, redditus annuos constituerunt, omnia necessaria contulerunt. ad concionem matutinam doctrinamque pomeridianam admirabiles concursus, fastiditis etiam ludis, quod sane quam mirum fuit, in Bacchanalibus. Sed ne tam præclara incepta spatio languescerent, primorum accessit aucto-

ritas . Inſtituta etiam Sodalitas virorum e præci-  
 pua nobilitate, ad centum fere & quinquaginta, ubi  
 de rebus ſpiritualibus quot hebdomadis ſemel ve-  
 nitur in colloquium: altera adoleſcentium viginti-  
 quinque concelebratur feſtis diebus . Societatis  
 exercitationibus expoliti nonnulli: ex his iuricon-  
 ſultus ſacerdos effectus: & virgo Genuæ cænobium  
 ingreſſa . actum cum ludi magiſtris de pietate in  
 ſcholis cum litteris iungenda . pax inter diſcordan-  
 tes compoſita: & interuiſi agrotantes . multa id  
 genus communia, Finarini, & vicinis etiam in pa-  
 gis ad Dei gloriam audita viſaque . Duo illa eximia,  
 adoleſcens dum de confeſſione cogitans abſtractus a  
 curis alijs in ſe inquiriſſe diligentius, improviſo im-  
 petu ab inimico circumuentus duo vulnera accipit,  
 vnum in humero, alterum in pectore: nec potuit qui  
 effundebatur ſanguis cupiditatem illam obruere:  
 eo vix dum abſterſo, ſacerdoti ſe aperuit cum lacri-  
 mis, & inimico condonauit iniuriam: acceptum id  
 Deo fuiſſe recepta poſtmodum valetudo declarauit.  
 Virgo duodecimum iam annum viſu laborabat, ad  
 altaris Sacramentum cum accederet primum, tanta  
 fiducia ſenſuque mentis ab eo quem acceperat ore  
 ſanitatē petere eſt auſa, vt ea reddita, clariorem  
 ſubito lucem mirantibus oculis ſimulque gaudio la-  
 crimantibus, e templo diſceſſerit .

COLLEGIUM TAVRINENSE  
cum missionibus.

**P**ATER Laurentius Magius reuertens e Gallijs, hanc provinciam, vt in itinere, visitare iussus, ab hoc Collegio, quod ei primum occurrit, duxit exordium: illudque eius officium caritatis & prudentiæ plenum multas ad res Nostris perutile fuit. Decessit coadiutor temporalis vnus, tanta, & eminebat in vultu, cum letitia, ac voluptate, vt qui similes affectus didicerat alias abscondere, submolleste ferret, se ne tum quidem cum maxime vellet, occultare posse. Quattuor in Societatem scholastici adsciti. Vnus domo Gallus linguarum scientia & Philosophia apprime instructus: Nicænus alter iuris prudentiæ studiosus, iam laurea donandus, iam destinata sibi vxore aucturus suis letitiam familiamque: nec destitit eum bonorum hostis per oblatum socium ab instituto detererere, & distinere in itinere: sed aduersus omnia firmavit animum Christi amor, ac vicit. Tertius fuit prænobilis Dynastæ filius nostræ disciplinæ alumnus: cui & si pater principio non iniquus videbatur, mox in conficiendo negotio eum nodum moramque obiecit, prætexens amorem posteritatis, vt adolescenti mira vtendum fuerit, & modestia in non irritando, & patientia in perfringendo. Quartus denique, qui recens a Nostris scholis publicum vrbis gymnasium studiorum causa celebrabat. Sunt & alij qui idem parturiunt: differuntur videlicet, donec ad plenum formetur in

illis Christus. Scholæ nostræ frequentantur a Subalpina nobilitate splendidissima, & elucet pietas in singulis: vni quidem sacerdoti nostro quinquaginta quicquid aduersus Dei legem admisissent in omni vita, confessione exposuerunt. Ad tria Virginis Sodalitia, duoque, vt vocant, Oratoria, illustris accessit Academia, Duce non nesciente & probante, e viris eruditissimis: eaque esca multi ad suscipiendam cogitationem melius instituendæ vitæ allecti. In sodalitiū maximum præter Nuntium Apostolicum Venetumque Oratorem, ipse etiam Dux cooptatus, eo argumento pietatis, vt nec contentus grandi pecunia quam submiserat, eodem accesserit, religiosæque exercitationi sodalium tamquam vnus e multis in communi scamno interesse voluerit. Spirituallibus commentationibus eruditi multi: e quibus primarij nonnulli, rei que participes publicæ, cum domum nostram se recepissent, quod gerebant, munere tantisper intermissio, hominibus, vt fit, & in aula & in vrbe cuncta interpretantibus, sermonem dederunt. Quantopere Dux erga doctrinam Christianam quæ pueris explicatur, sit affectus, vel ex hoc coniectare licet: quod cum subueritus quidam e nobilitate, ne si optimatum filij eam publice recitarent in templo, inferius eorum genere videretur, ipsique Duci non adeo acceptum esset, super ea re Ducem per idoneos viros consulisset, hoc tulit responsum, Ego vero ne dum moleste feram filios virorum nobilium Catechismo institui, meos quoque ad idem exemplum, vbi per atatem licebit, exerceri

exerceri iubebo. Hæreticus quidam custodiebatur in arce propter atrociam eius scelera vitæ priuandus: quam tamen Dux, memor operæ ab eius fratre sibi impigre nauatæ, permissurum ostenderat, si resipuisset. Cepit hanc prouinciam unus e Nostri, quam etsi duram omnes diffidabant, tamen in primo congressu ita rem Deo adiuuit, ut quem diu ante obfirmauerat animum, hæreticus ad leniora conuerteret. Ex eorum numero, quibus ad supplicium rapiendis præsto fuerunt Nostri, centurio erat igni tradendus: qui opportuna eorum frequentique cohortatione, & piorum librorum lectione consilium cepit christiane & fortiter mortis oppetendæ. & præmunijt se ad illam voluntaria afflictatione corporis atque inedia, ita constanter, ut omnibus qui eum inuiserent, inuisebant autem quamplurimi, admirationi esset: supplicium illud, quod esset promeritus, accepturum asseuerans beneficij loco, & ad grauiora se offerens Deo paratissimum. Cum primum introductus est qui necessitatem vltimam denuntiaret, nihil mutato vultu nec voce, Benedictus, inquit, qui venit in nomine Domini: ingredienti carnisfici, frater benedicat tibi Deus: cum ligarentur manus, laus domino meo Iesu Christo, qui mei causa vincula sustinuit: cum collum circumdaretur fune, an non pro me Domini mei collo funis iniectus? cum per vias incederet, assidue Deum collaudabat, effusumque populum cohortabatur ad bene viuendum: in ipso patibulo peccatorum reliquias confessione deterisit, exposcens astantium preces, adma-  
toque

roque ad machinam corpore clausis oculis, inter has voces, Domine Iesu miserere mei, stupentibus omnibus qui aderant, & collacrimantibus migravit e vita. Pium opus, vulgo dictum virtutis hospitium tanto ante animo & cogitatione descriptum, ad virilis muliebrisque sexus aetatem omnem, quæ paupertate premitur, subleuandam, hoc tandem anno initium habuit: separantur in iisdem aedibus alteri ab alteris, & in utili aliquo perdiscendo artificio honeste occupantur. Singulis mensibus audiuntur, docenturque Christiana elementa diebus festis a sacerdote nostro fratreque, qui sunt in hoc Collegio aetate maxime prouecta. Actum, vt praua quædam & vetus tolleretur consuetudo tripudiorum, Ducis interdicto, præcipue circa templa: itaque iam, si forte, saltantes abdunt se in angulos: & inde tamen frater vnus e nostris ingenti ardore mentis, interruptis choreis, tacere iussis fidicinibus, puellas ad Christianam doctrinam extraxit. Magna est apud oppida circumiacentia virosque principes de Societate existimatio, vt non tantum ad nos adeant causa consilij, sed suos liberos nostræ disciplinæ in ipsa morte committant: quod quidam cum fecisset, eius rei tutores admonuit. Sed & Dux Serenissimus, eiusque vxor, Infans item Serenissima, non obscura Nostros beneuolentia prosequuntur: neque enim solum ad aedem nostram sæpius adierunt, sed sexta etiam quaque feria Quadragesimæ, cum ad sacram sintonem in templo maximo sermonem haberi ab vno e Nostris voluissent, nullum diem intermiserunt:

runt: quin ipse Dux, sic est illis sermonibus delectatus, ut quo reguſtandi poteſtas eſſet, curauerit deſcribendos. Ex ijs, qui cum Eccleſia redierunt in gratiam, ſorores tres fuerunt, vna cum fratre germano natu grandiore: qui cum educati eſſent in heresi, piorum nunc hominum fidei curaque commendati in perfectæ religionis viam videntur ingreſſi. Data præterea opera, ut nobilis quedam Congregatio, quæ iam dudum eſt in hac vrbe, procuracionem eorum ſuſcipiat, qui ſalutari tingendi aqua, ad eam Catecheſi præparantur: eoque in munere adiuuantur a Noſtris: & hoc anno baptizati duo, e Maumetana colluue, Afer vnus, Hebræus alter quattuordecim annorum: Hic a femina Chriſtiana quam ſamulam domi habebat, edoctus ut ad Chriſtum accederet, a patre profugit: Taurinum deinde miſſus a Dynaſta nobili ad Apoſtolicum Nuntium, a Noſtris inſtruetus, quod propter eius celeritatem ingenij fuit quam facillimum, tertia feria Pentecoſtes a Proepiſcopo ablutus, a Duce & a nutrice Principis filij e ſacro fonte ſuſceptus eſt: ante baptiſmum ad populum Iudæosque, qui Ducis edicto omnes conuenerant, grauiter & erudite ſermonem habuit: egit grates primum Deo qui eius animum cupiditate Chriſtiane religionis incendiſſet, tum execratus Iudaicam ſuperſtitionem, parentes valere iubens, eorum loco Chriſtum agnoſcēs, matremque Virginem, ita permoit auditores, ut pluribus exciuerit lacrimas, omnibus admiratione deſixis, agit nunc in conuictorum contubernio benigniſſimi Ducis impenſa,  
 mira



*mira cum virtutis specie, & laude probitatis.*

**I**N P A G O S multos oppidaque Subalpina regionis excursus est: ac primum quadragenis ieiunij diebus sacerdos cum laico in cœnobio oppidoque fuit, cui nomen a sancto Benigno, obitaque munia Societatis: in cœnobio sermones habiti ad monachos de monastica disciplina, quæ instaurata in plerisque: horaria preces a cœnaculo in templum translata: restituta ieiunandi consuetudo. Alio in oppido adeo gratis animis exceptus vsus Christianæ doctrinæ, quo in munere versabatur frater, vt Franciscanus concionator semper interesset, allata causa, vt absentis deinde locum impletet.

**I**N P E T R O S A M V A L L E M, vt Montis Regalis Cardinali illustrissimo mos gereretur, ex auctoritate Patris Generalis missi duo de Nostris: conciones, etiam ab hæreticis, libentissimis animis exceptæ: magna enim hoc tempore spes eorum reuersionis: tum quia Salutij, ad quos illorum erat perfugium, iam in Ducis Sabaudia potestate, tum quia ipsorum multi a tam salutari consilio, a ministris scelerum se abduci querebantur: & iam nunc cum fallere possunt oculos obseruantium, concedunt furtim in tēpla Catholicorū, magnaue humanitate Nostris rogati æque, non rogati que, libenter inseruiūt.

### C O M E N S E C O L L E G I V M E T

Aronensis Nouitiorum Domus.

**C**O M I muliercula tres ab infami quæstu deductæ. Tres virgines cœnobiticam vitam complexæ:

plexæ: aliquæ ita se totas diuino cultui dederunt, vt  
suis parentibus fuerint exemplo. sed & nuptæ ali-  
quot, viris ad pietatem amplectendam, adiumento  
fuerunt. Maioris ieiunij sexta quaque feria in sa-  
cello Collegij habiti sermones de Penitentia peruti-  
les, tanto cum sensu audientium, vt ciues quidam  
auctoritate graues & ætate a lacrimis non tempe-  
rarent. Ceterum funestus annus ciuitati fuit mor-  
bo quodam letifero grassante: at Nestri sine timo-  
re contagij noctu diuque horis pane singulis præsto  
erant laborantibus: quod perinde vtile multis, quam  
gratum omnibus fuit: neque tamen scholarum cura  
intermissa: e quibus nonnulli ad Religiosorum fa-  
milias se contulere.

ARONÆ decessit Pater Philippus Cappo-  
nagus. A prima adolescentia vixit in Societate ma-  
gna opinione sanctitatis: cum liberatus esset onere  
Comensis Collegij, cui præfuerat exemplo magis,  
quam imperio, Centurionio Episcopo rogante Sa-  
nam missus, vbi & commoratus est admirabili cum  
fructu: hinc cum redisset, iuit iterum in Nonarien-  
sem diocesim, quæ Nostrorum desiderabat indu-  
striam: vbi duos cum adlaborasset menses, fructu la-  
borem fallente, quodam in oppido inter montes, in  
ipso suggestu acuta febre correptus, relatusque in  
hanc domum vim morbi non sustinuit. Eius obitum  
dicuntur Deus piæ cuidam mulieri, cui erat ille a con-  
fessionibus, præmonstrasse. Fundebat pro sacerdote  
antequam missionis obiret munus, preces intimo af-  
fectu, cum arborem intueatur in magnam altitudi-

nem

nem expansis ramis excrescere, e quibus flores fructusque vberimi, statimque mortuo trunco rigentibus folijs exarescere, sed egressam ex ea columbam miri candoris in calum euolare. hæc omnia interpretans illa, ad Patrem, qui in bonorum operum copia animam nulla labe infectam Deo redditurus esset, referenda conijciebat. euentus visum approbavit. Ceterum adiuti quoad fieri potuit Nostrorum studio multi: & tætra quadam lue ad plures serpente, moribundi: inter hos vnus atrocitate morbi, an cogitatione malefactorum, redactus ad insaniam diabolum clara voce implorans orabat enixe, vt infelicem animam extraheret e corpore: non distulit captator animarum: intrare visus cubiculo excussis, cunctisque spectantibus qui aderant, arreptum hominem & sublatum e lecto iam iamque asportari conari: sed cum pro ægroto Deum illi comprecarentur Iesu nomen assidue inclamantes, destitit ab incepto: accitus vnus e Nostris moderatione prudentiaque ita ægrum animum delenyit, vt cum prestisset Deo pietatem quam debebat, quantum quidem poterat per difficultatem morbi, & angustias temporis, a demone relictus tranquillissime expiravit. Extorserunt tandem ciues hoc anno repetitis precibus e Societate concionatorem per ipsos dies quadraginta qui Pœnitentiæ addicuntur: habebat diebus festis mane concionem, sub vesperam, differentibus pueris de doctrina Christiana, vt erant instituti, in disputatione & dialogo, ex occasione, ipsius capita pro suggestu familiariter explicabat, tanta cum vtilitate

utilitate audientium ac voluptate, ut cum secundum Paschales ferias discessisset, iisdem flagitantibus, qui inchoatum opus pertexeret, fuerit subrogandus.

## VERCELLENSE COLLEGIVM.

**H**IC tandem sedem fiximus, qui antea fueramus inquilini. Templum est in vrbe amplum plenumque dignitatis nostris muneribus appositum: proximum habet alterum Canonorum Collegio nobile: illius ne possessio nobis daretur, numquam nec Cardinalis illustrissimus, nec Reuerendissimus Episcopus Vercellenses, quorum tanta erat auctoritas, ut nihil eis denegandum videretur, impetrare poterunt. Sed nimirum bonum est in Deo spem ponere quam in Principibus: hoc enim anno ciuitas post eorum obitum, connitente etiam Duce Serenissimo, ut id nobis liberum sine vlla tergiversatione traderetur, a Pontifice maximo obtinuit. Et missum est Pontificium diploma perhonorificum, quo & assignatum Societati templum, & facta potestas emendi propinquas ades, quæ Nostrorum commorationi necessarie forent. Igitur, ut ciuitati bene de nobis merenti grati essemus, duæ scholæ iam diu expeitæ Grammaticæ vna, altera Humanitatis, apertæ: concionumque & Catechismi factum initium: etsi hic quoque acutæ febres, quæ morte afficiebant corpora multorum, materiam Nostris præbuerunt caritatis exercendæ: sic ut non raro domi vnus aut alter relinque-

linqueretur, alijs ægrotorum subsidio profectis: eoque in genere, quæ diuinam approbauere prouidentiam, euenere nonnulla. non nemo recens a confessione affectus errore mentis: nec defuit qui abductus est a non communicandi pertinacia: & alia communia. illud quidem ad memoriam insigne: quod quidam cuius frater erat interfectus, cum adhuc super calidum cadauer lacrimas effunderet, tantum tribuit, suggerente vno e Nostris, amoris aduersus Deum, vt liberarit metu ac suspicione eos qui cedis insimulabantur. Hæc propter, atque alia, ciuitatem habemus Societatis nostræ perstudiosam: ipsius autem Sarnani Cardinalis (is enim nunc est Episcopus) Vicarium, Nostrorum precibus tam multa tribuentem, vt eorum rogatu eximens alios a trivembus, minuens alijs, aut omnem remittens pecuniariam multam, magnis beneficijs obstringere plures non cesset: quo magis laborant Nostris, vt suis officijs, & studio ciuitatis, & Proepiscopi beneuolentiæ respondeant.

V E N E T A  
P R O V I N C I A .



COMPLECTITVR Veneta  
Provincia domicilia duodecim,  
socios amplius tercentum, Vene-  
tius quadraginta, Patavij quinqu-  
aginta, Bononiæ viginti septem, Fer-  
rariæ vnum & viginti, Tredecim  
Mutinæ, octodecim Parmæ, Forolinij quindecim,  
Brixie quadraginta, Nouellarie septem & trigin-  
ta, Placentiæ quindecim, Mantuæ duodeviginti.  
Septem in Domino quieuerunt: Tredecim in Socie-  
tatem admissi.

DOMVS VENETA.

AD LABORANTIBVS Nostris no-  
socomium institutum, curandis remigibus, qui  
prius in exarmato aliquo navigio omnium rerum  
egeni miserrime agebant. magna vis pecuniæ quam  
interuerterat fraus, an inscitia, ad dominos reuertit.  
Periclitanti feminarum aliquot pudicitia consul-  
tum. Viri nonnulli a concubinarum assuetudine ad  
honestiorem vitam traducti. Rhetymnæ, quæ &  
Rhetima dicitur, Episcopus a summo Pontifice duo  
Collegia fundanda in Creta insula impetrauit, vt in-  
colis prodesse: secumque sacerdotes duos, toti-  
dem laicos auexit. Cum deinde clarissimus vir Io-

annes Baptista de Monte Venetorum militiae Praefectus, illius insulae arces & praesidia inspecturus discessisset, sacerdotem unum a confessionibus habere voluit: huic frater additus: uterque confecto prior negotio, cum alijs in eadem insula manebit. Pontificius Legatus, & designatus Aquileiae Patriarcha, nostrae Societatis exercitationibus instructi. Cum proximum iubileum in hebdomadam sanctam incidisset, & in tam populosa vrbe, superante multitudine confiteri volentium, a sacerdotibus audiri omnes non possent, Pontificius Legatus hortatu Nostrorum a Pontifice obtinuit, ut repetendi esset facultas: factumque mirifico cum fructu. Sacerdotes e Nostris duo, a quibus magna utilitas ad procuracionem animarum (ex his vnus Valentinus Arigonius) acuta febre extincti.

### COLLEGIUM PATAVINUM.

**D**I A L O G I duo in praemiorum distributione ad excitandam iuuentutem magna frequentia dati. Germanae mulierculae duae a turpi vita ad honestam, ad Catholicam veritatem ab haeresi conuersae. Exercitijs spiritualibus eruditi circiter quinquaginta: in his fuerunt Archiepiscopi duo, Episcopus vnus Gallus, diuersorum caenobiorum concionatores duodecim, vnus nouitiorum magister Dominicanorum ordinis, vicarij Episcopales duo, totidem Dynastae, tres Abbates, Legatus regius vnus, nobiles Veneti nonnulli, reliqui Dalmatae, Rutheni, Itali,

Itali, magni nominis omnes : ex his illi fructus. Religiosi sodales suos externosque cohortationibus iuuant & exemplo, aliquos ad eundem Sacerdotem adducunt, a quo fuerunt imbuti, similiter imbuedos. alij e longinquis regionibus in patriam reuenterunt eo animo, suis vt ciuibus prodesse possent. nonnulli rebus humanis remisso nuntio, varias Religiosorum familias, & nostram quidem duo, ingressi. De vno breuiter edisseram. Dederat hic operam Nostris philosophiam docentibus Mediolani, dederat & specimen publice sui profectus : cum vocaretur a Deo ad nostram Societatem, nec praberet aures, iuris ciuilis studio Patavium concessit. Sed cum difficile esset contra stimulum calces, nullamq; caperet quietem, suasu vnus e Nostris qui erat illi a confessionibus, instituendum se permisit commentationibus Patris Nostri Ignatii, exploranda diuina voluntatis. Vix prima septimana exacta, manus dedit, eo animi impetu, vt negaret differenda, quibus de aeterna salute agitur, consilia. Pater qui erat pro Prouinciali, Brixia aberat. hic mora impatiens, citato equo, continuato die ac nocte itinere milliaria prope centum emensus, bene mane Patri se sistit : aperit consilium. Prudenter is pro re spem iuueni offert, ne id esset nimis properum : hoc magis incensus ille, instat vehementius : spem dat dubie menti Pater, sed nihilominus differt. Et iam iuuenis exarserat cupidine Religionis : vbi precibus nihil proficit, se ipse accusat cum gemitu : non audior a te Pater, quoniam ego prius Deum non audiui :



ergo pretium ob stultitiam fero: iam aliquo, vel Bononiam ibo, ubi vita & moribus me dignum esse vestra Societate probem. Res magnæ caro emuntur. Hic hominem ut certum consilij vidit Pater diuinitus flexur: Vicisti, inquit, tua constantia: iam nihil moror: & excepit gratulantem. Alter quadriennium in iuris scientia posuerat. Sed quoniam de his loquimur qui fuerunt accepti: accepti enim sunt sacerdotes duo, vnus Theologus, perfectus alter in omni parte humanitatis, vtriusque lingue sermones apprime doctus: itaque versatus in instituenda iuuentute, ut excellat: Clericus præterea vnus philosophus, vnus medicus, reliqui coadiutores duo.

**EFFECTVM** est opera Nostrorum, ut politici quidam libri, e quibus prudentia hauriebatur inimica Deo, castigarentur: id negotium Nostrorum vni impositum, confectumque communi omnium assensu. Scholastici duo e diuersis nationibus, exorta rixa se mutuis vulneribus affecerant: hunc suam vtrumque natio ultum ibat accincta ferro, propriam nationis existimationem agi existimans: intercessit sacerdos vnus: sauciorumque cum prius purgasset confessione animos, studia reconciliauit: quibus sedatis, modicis remedijs reliqui motus confedere. Cum in itinere, quod est hinc Venetias, continenter naues vltro citroque commeent, illudque navigationis spatium plerumque confusa more multitudinis, per licentiam in sermonum lasciuiam versatur, si quando Nostris (ut sepe) eo

ex

ex numero esse contigerit, ijs sermonibus eunt ob-  
uiam melioribus orandiis, spargendisque libellis,  
quibus ad pietatem conuectores incitentur: res  
maior aestimatu quam dictu. Sacerdos vnus e No-  
stris spectata vir prudentis apud quem la n Episco-  
pum, ad quem ierat accersitus, magna cum eius vti-  
litate triduum posuit. Simultates inter ciuitatem  
atque Episcopum tumescentes repressit: Semina-  
rium ab eodem Episcopo institutum composuit: nec  
molto post cum Synodum celebrare vellet Antistes,  
rerum capita de quibus erat acturus, eidem Sacer-  
doti excutienda misit, qui Pataviu redierat. ge-  
stus est mos ipsius voluntati. Is autem est ille ter-  
rarum tractus qui Episcopo subijcitur, vt quod in ijs  
decretum est, propter locorum propinquitatem, sit  
multis circa populis vtilitati futurum.

### COLLEGIUM BONONIENSE.

**Q**UIDAM animum habebat ad flagitia præ-  
cipitem, nec resipiscebatur. Oblata est ei no-  
ctus dormienti an vigilianti, species Angeli, sic cum  
increpantis: Et potes miser ac miserande, cum tot  
sceleribus offensam Dei contraxeris, sine cura som-  
nos ducere, nec cernis quæ te pericula circumstant?  
Quin moras rumpis, & reconciliaris Deo? quod si  
non omnino es sine mente, rabe tandem occasionem.  
In alijs rebus celeritas periculosa, in hac vna est  
tutissima. Defixit ea vox metu audientem: homi-  
nique vita sapienter instituenda initium fuit. Ma-

ritus in uxorem promptam ferocibus, in propinquum alius immodicum linguæ, ferrum stringere obstinauerant: sed de Nostrorum consilio immutauit se vterque: & ille quidem, vt mulierem immutatam, & veniam vt peteret, prouolutam ad genua suppliciter vidit. Perseuerantiæ sodales notiam studio & nomine, excitas aliquot discordias & grauissima etiam odia, duas inter nationes quas in iurgio accenderant vulnera vtrunque accepta, sedarunt. Scholæ nostræ auctæ ob Collegium præcipue nuper ab Archiepiscopo institutum Conuictorum nobilium, qui erudiuntur a Nostris: eas semel Palæotus Cardinalis sua præsentia beneſtauit: quo etiam die cum tribus Episcopis & primarijs Academiæ doctõribus, magnus conuiuia, apud nos cibum capere voluit. In Collegij adificatione mille aurei plus minus expensi. Factum etiam argentum, sericaq; vestis sacram supellectilem cumulauit.

### COLLEGIVM FERRARIENSE,

**M**AVMETANA mulier perducta ad fidem. Hæretici tres, atque ex his relapsus vnus, ad Ecclesiæ gremium reducti. Mulier sexagenaria Catholico ritu numquam confessa, id vt faceret edocta. Varij ad varia cœnobia se applicarunt. Coniuges placati duo, qui, e graui litigio quod intercefferat, diuortium meditabantur. Ad vetera Grammaticæ & Humanitatis gymnasia, additus cumulus Rhetoricæ: magna discipulorum diligentia & pie-

& pietas, sodalium præcipue Mariæ virginis. ij sollemni carimonia exceperunt munus Patris Nostri Generalis, quo cum Sodalitate principe Romana coniungebantur.

MVTINENSE ET FOROLIVIENSE  
Collegia.

**M**VTINÆ aucta re familiari, aucta etiam familia.

E FORO LIVII in loca propinqua crebro excursus, & explicatus Catechismus. In vno disciplina puerilis restituta. In duobus cum a fratre nostro aleatores deprehensi essent, molliter primum obiurgati, tum inducti, vt abiectis aleis ad litanias recitandas flexis genibus conuerterentur. Inueterauerant per annos duodequingvainta, tres inter familias inimicitia, nec vllus reperiebatur finiendi modus: vires enim odij non facile mitigabantur, & erat consuetudo insuperabilis: placuit diuinæ bonitati, vt hoc in opere conatus Nostrorum adduceretur ad effectum, tam felici successu, vt ea res vna in his annalibus Foroliuiense Collegium facere possit insigne.

PARMENSE COLLEGIVM.

**S**VAM IN NOS benevolentiam Ranutius Princeps multis rebus declaravit. In locum Patris Petri Angeli Consulis qui est mortuus, alte-

rum, vt sibi essent a confessionibus, delegit: actioni publicæ Christiani Catechismi summa cum voluptate & commendatione humanitatis suæ interfuit. Extremis Bacchanalibus, quo tempore male sana iuuentus in omnem licentiam se effundit, cum exposita esset in æde nostrâ sacrosancta hostia palam adoranda, ad eam venerabundus accessit: quod auxit populi religionem. Denique, vt alia mittantur, Hebraum, qui institutus a Nostriis, nostro in templo ab Episcopo abluebatur, excepit a fonte. Congregatio Virginis fructus aliquos dedit: tres ex eo numero religiosam vitam amplexi. Cum sex Societatem nostram expeterent, vnus tantum voti compos effectus. Quod ad rem Collegij pertinet, ea pecunia, quam Dux Octavius nobis testamento reliquit, as alienum dissolutum. Mulier primaria quinos vicanos aureos in annos duodecim nobis legauit. Villam suburbanam ad exitum perduxit amicorum benignitas. Templum quoque ditius factum donata veste, quæ ducentis minimum aureis æstimatur.

BRIXIENSE ET VERONENSE  
Collegia.

**B**RIXIÆ Sacerdotem vnum annos agentem duodenonaginta Deus ad se vocauit: hic vt multis magnisque virtutibus clarus, tum patientia, qua oculorum cecitatem per totum quadriennium tulit, fuit maxime conspicuus. Tres in Societatem

tatem adscripti: adiutores rei domesticæ duo, scho-  
lasticus vnus præstanti ingenio. Discipulorum nu-  
merus ita auctus, vt ad tres superiores classes, quar-  
tam adijci oportuerit tradendis Grammaticæ rudi-  
mentis: eorum pietatis hoc erit signum, quod Tubi-  
leo proximo, magistris hortantibus, qui ad nos ven-  
titant omnes, octo decem ve exceptis, peccatorum  
maculas eluerunt confessione, vel a primis annis,  
uel a generali ultima repetita. Restitutiones duceno-  
rum trecenorumve aureorum factæ non pauca. Con-  
fessiones vitæ totius auditæ fere innumera, ita vt  
vnus acceperit circiter quadraginta.

V E R O N A E nihil memorabile accidit hoc  
anno: nisi quod noui templi fundamentis vix iactis,  
Veronensis quidam medicus, tertiam bonorum par-  
tem (ea est aureorum trium millium) ad eius ædi-  
ficationem sponte legauit.

### DOMVS PROBATIONIS Nouellariæ.

A N N O N A E caritas Nouellariensi pau-  
pertati nec grauior, quamuis magna fuerit,  
videri debuit: & fuit valde salutaris. nam, præ-  
terquam quod Comes Alphonsus priuatas quas-  
dam familias sua benignitate sustentauit: Comitum  
Camilli fratris liberalitate, a natali Domini, ad no-  
uam vsque messem mane quotidie duceni pauperes  
pascabantur, alternanti ordine: vt centeni accepti  
plena mensa ad quã Comes ipse ministrabat, centeni

cum

cum binis panibus dimitterentur, postridie ipsi ad mensam accubituri. Medio hoc tempore omnes Christianis præceptis eodem adiutore Camillo a Nostris instruebantur. Quotidianum spectaculum visu sane quam auditu iucundius. Aegrotus quidam de nobis benemeritus, iam nulla spe vitæ, cum eum supremas agere oporteret curas, captus est tam alto somno, ut timendum esset ne morti iungeretur. excitantem quemcunque quasi interpellatorem quietis cubiculo expelli iubebat. accitus denique vnus e Nostris ita prudenter egit, ut ager sopore discusso, rebus suis dispositis prospiceret animæ salutem. quo statim factò, alienatis sensibus spiritum efflauit.

COLLEGIVM MANTVANVM  
& Placentinum.

**M**ANTVÆ annum Collegij vestigal auctum iri certum est: nam duorum aureorum millibus, quos Hercules Cardinalis frater Ducis Niuernensis Societati reliquerat, exactis, res soli coementur: & vnus e nostris centenos videnos aureos in singulos annos Collegio addixit. Dux præterea vrget templi adificationem, magnisque quotidie beneficijs præuertit desideria nostrorum. Inter viros vxoresque, quorum vnus iam venenum parauerat, reconciliationes quattuor factæ. multi male parta dominis reddiderunt.

PLACENTIÆ obierunt duo, Sacerdos & Coadiutor: morbi ille grauitate fere repente, hic diutur-

diuturnitate paulatim consumptus. Sed huius iacturam alterius admissu compensatum iri speramus. In eade maxima, maioris ieiunij diebus, & bona parte anni, concio habita, non sine fructu. Sacra mysteria, quod antehac raro factum, iam primores orbis frequentant. Consuetudo erat vetus, vt nobiles matronæ non in vjs modo, sed & in templis aperto capite essent: nunc eiusdem concionatoris admonitu abolita. itaque & puellæ, non tantum matres, incedunt velatis capitibus. Multi degustata dulcedine Christianæ pietatis, ad diuini amoris studium incensi. Cædes repressæ, pacificationes factæ. Ad Sodalitium beate Virginis interius alterum adiunctum, vbi meridianum tempus ab adolescentibus pijs vtilissime collocatur. Serenissimus Princeps Ranutius cum huc veniret, templum inuisit, cuius parietes carmine plurimo & emblemate conuestiebantur: acceptus Græca Latinaque oratione a studiosis adolescentibus: hoc eorum officium gratum sibi fuisse & probatum, non verbis modo, sed hac etiam re ostendit: quod ea omnia referri in libellum, sibi que reddi voluit. hinc aucta erga nos beneuolentia ciuitatis. Reuerendissimus Episcopus multis muneribus pretiosaque veste templum exornauit: eius liberalitatem ciues imitantur: qui etiam discitant, plurimum se templi ipsius munditia & elegantia delectari.



P R O V I N C I A  
P O L O N I A .

**N**OSTRORVM in Prouincia Po-  
lonia numerus fuit ad tercentum  
quingenta. Bransbergæ vnde vi-  
ginti, Pultouia & Claudiopoli vi-  
ceni bini, Vilna quingenta tres,  
Posnania viginti octo, totidem Iaroslauia, Polo-  
cia vndecim, Lublini vnus & viginti, Riga tan-  
quam in exilio, octo, Callisij octodecim, Niesisii  
quindecim, Derpati totidem, duodecim Alba, Cra-  
couie in domo sanctæ Barbaræ tredecim, in Noni-  
tiatu duodequadragenta, in sede Varadinensi quin-  
que, in Moldauica missione tres, in Kolinienfi duo,  
in Suetica, vnus in aula Serenissimi, tres cum Pro-  
uinciali excurrunt. Transferunt in Societatem vi-  
ginti: emigrarunt e vita decem.

BRANSBERGENSE COLLEGIVM.

**S**CHOLÆ quæ anno superiore pestis metu  
intermiserant, redintegratæ Autumno ineur-  
te, reuocante se multitudine, sine iactura. Sed cum  
Vere recruduisset vis morbi in locis propinquis, re-  
gnumque pene totum inuolueret, dilapsis Prouin-  
ciæ Collegijs fere omnibus, quo minus Bransbergam  
attingeret, Seminariorum pietati, quorum regimen  
penes Nostros, datum videtur: qui enim in ijs

versantur adolescentium cœtus, tota æstate quadragenarum horarum supplicationem, in orbem suam quisque vicem obeundo, sub Autumnum, magis imminente malo, frequenti pompa sese acriter in templo nostro diuerberando, attonitis primùm civibus insolitæ rei spectaculo, dein motis religione, non destiterunt finem orandi facere, nisi periculo depulso. mirum de vrbe comitatibus peruia, Dantiscum inter, Elbingam, & Regiomontium, emporia celebratissima: in quibus pestis sæuebat, vt penetraverit Vilnam octoginta leucis distante Dantisco: & si Bransbergam quoque calamitas se intendit per duos menses, sed stetit intra suburbia: ceterum ciuitas intacta. Et in his tamen angustijs Domus pauperum studiosorum aluit adolescentes quadraginta: e quibus sex aberrantes a Fide redierunt in viam: obierunt duo: tres in Societatem adscripti: sed & Nostri admoniti periculo, consilium cepērunt edificandæ domus suburbanæ opportuno secessui, in vtrumque tempus, siue timori perfugium, siue labori leuamentum.

## COLLEGIUM VILNENSE.

**A**CCESSERE ad Societatem duo: ad Ecclesiam Catholicam centum quadraginta vnus: a schismate emersi duo de septuaginta, ab hæresi sexagintanouem, plerique illustres: & duo quidem magistratu præditi, præest alter finibus regundis, alter iudicijs: duo item iuuenes summa claritudine

dine generis quo Duces attingunt, nobilis præterea vnus perterritus somnio, quo se vidit in eodem balneo cum cacodæmone lauantem. ea est etiam apud aduersarios Nostrorum existimatio, vt cum ijs de religione concertationem vltro refugiant: quo magis crescit eorum pertinacia, & dignatio minuitur. Certe hac ratione perducta ad Catholicos virgo nobilissima: fratrem habebat Anabaptistam: cum eo, vt fit, terens sermonibus diem alter eiusdem sectæ gloriatus est obrufisse argumentum Sacerdoti catholico, quod soluere nequisset: tum virginis frater, vide ne laceffas Iesuitas, facillime diluent: id virgo vbi audiuit, adiens ad Nostrorum, veniendum sibi putauit in eam sententiam quam intellexerat esse firmiorem. pari nobilitate vnus adolescens a puero educatus in hæresi, e Nostrorum concione cui interfuit, venit in suspiciouem falsæ Zuinglianorum doctrinæ. & voluit committere disputationem coram amicis quos habebat socios erroris: erat ei vxor item Zuingliana. igitur accito ministro, cum gymnasiarcha Zuinglij, accersuntur etiam nostri. ex eo ira ministro mota: nec perpeti posse, adeo expectare Nostrorum aduentum: discessum meditari retinentibus amicis, muliere ad eius pedes accidente, ac ne se perditam vellet cum lacrimis orante: socio denique per vaniloquentiam animos addente. at furere nihilominus ille, & obseratis foribus dicitare se proinua vsurum fenestra, donec tandem turpem exitum extorsit. adsunt Nostrorum: minister nullus. eius socius restabat, verecundia credo magis, quam virium conscientia.

*scientia. ceciderunt enim animi statim: & vera præ-  
 fatione merum Grammaticum se professus non Theo-  
 logum, responsurum spondit ad omnem quæstio-  
 nem, quam ponerent in Grammaticis. Ceterum,  
 Ne sutor ultra crepidam. ea res deridiculo hæreti-  
 cis, qui discessere stomachantes, adolescenti quem  
 aliena stultitia sapientiore fecit, documento fuit.  
 & facerent idem plures, si ministris disceptare au-  
 dentibus ad liquidum veritas explorata esset. Sed  
 quo pauciores conuertuntur, eo virtus animi ma-  
 ior, & constantia robustior. Adolescens opulen-  
 tis parentibus & claris, cum ab illis sollicitaretur  
 ad hæresim, exheredaturos alioqui minitantibus,  
 maluit cuidam opifici locata opera victum quære-  
 re, quam violare fidem, quam Christo dedisset: alter  
 a procaci femina pudicitie periculum pecunia rede-  
 mit. Sed & mira firmitas puellæ e patre Lutherano:  
 a quo propterea seruili atteritur opere, additis  
 verberibus: & defatigatæ non apponuntur cibi, nisi  
 vetiti, & si forte seorsum coquit sibi olera, aut le-  
 gumina, succo inficiuntur interdicto: quo & inter-  
 dum per vim ingesto sublinitur os comedentis: hæc  
 cum fert illa æquo animo, tum vero, quod disci-  
 piunt parentes, cum hæretico futuram in matrimo-  
 nio negat. Expiarunt peccata vniuersæ vitæ duo su-  
 pra nongentos: a turpi quæstus abductæ duæ & tri-  
 ginta: multi a veste hæresi ve quam cogitabant: vna  
 a consilio abigendi partus. duabus præterea femi-  
 nis, quarum pudicitie insidiabatur demon spectris  
 nocturnis, virtute diuini agni in consecrata cera  
 subuen-*

subuentum. Nec erga vinc̄tos Noſtrorum opera  
 deſiderata eſt. ijs laborantibus educta eſt mulier e  
 carcere, in quem cum amico erat coniecta, ac dem-  
 cept boneſte collocata. Vir nobilis compertus ho-  
 micidij euasit vtramque mortem. Scythia multorum  
 facinorum reus pridie quam afficeretur ſupplicio, ſa-  
 lutari aqua tinctus, ſacroque viatico inſtructus eſt.  
 Cum autem ex lege regni latrocinij damnatum eam  
 p̄nam ſequi oporteret, vt viuus ſecaretur in quat-  
 tuor partes, eamque animus cogitando perhorre-  
 ſceret, exoratus eſt aduerſarius, quamquam Luthe-  
 ranus, vt mitiore eſſet contentus. Illuſtriſſimus  
 Cardinalis Radiuillus, per ſacram Quadrageſimam,  
 vt ſape alias, exercitationibus noſtris in Collegio  
 operam dedit. exemplum ex eius cohorte compi-  
 res ſecuti. Mulier Scythis Maumetana non ignoti-  
 lis, quam crebra piarum feminarum de religione co-  
 loquia adduxerant ad Fidem, ab eodem Cardinale  
 baptizata in templo noſtro, & poſt paulo vir: cuius  
 vebementer licet flagitantis, abnuebat contu-  
 bernium iam Chriſtiana preſtantis animi, niſi  
 Maumeten prius exuiſſet, vt rite iungerentur. Cum  
 eodem Cardinale illuſtriſſimo diœceſin luſtrante fuiſſet  
 Sacerdos vnus e Noſtris, nec defuit muneri ſuo. Et  
 in luſtratione, muniti Sacramento Confirmationis  
 quater mille, conſeſſi, quantum poterant vel a pre-  
 ricia meminiffe, trecenti triginta tres, ab hæreſi  
 vnus, a ſchiſmate abſoluti duo de viginti. Parochia  
 tradenda diſciplinæ relicto exemplum: eorum non  
 pauci ſpiritalibus commentationibus exculiti. Ce-  
 trum

terum in gymnasio nostro multi quotidie ad pietatem (plures enim mittuntur, hæreticorum etiam filij, utilitate comperta) Catholicis præceptis erudiuntur: & sunt omnes ita propositi tenaces, ut ab eo plerique nec deterreantur minis, nec verberibus arceantur. Sed in hoc cursu rerum Octobre mense interuenit pestilentia: eius metu Nostri dilapsi fere omnes, quibus in locis diuersati sunt, non inutiles fuere. Oppidum quoddam non infrequens, quod Sacerdote perquamdiu caruerat, Nostrorum aduentu reuixit: æs alienum restitutum, odia sublata, baptizati multi, hæretici schismaticive nonnulli ad meliorem mentem reducti. Eadem pane effecta in pago Collegij, cui Emodeci nomen: hoc præter cetera: nobilis virgo, quamuis renitente patre hæretico summæ auctoritatis viro, Catholicam religionem complexa est. Duo per id temporis fuerunt apud Radiuillum Cardinalem fructu minime contemnendo. In oppido quodam tam crassa erat ignorantia rerum, ut porcæ immolarent Deæ Tellurî, Solem multi Lunamque venerarentur: dedocti sunt pro concione oppidani has superstitiones, & ab ijs, alijsque, a beneficiorum etiam vsu deducti. At eorum, qui manserunt in vrbe, inuisendis agrotis, curandis, fouendis, pauperibus collecta eleemosyna adiuuandis, mortuis sepeliendis, confessionibus audiendis, furtis & latrocinijis prohibendis, compluribus a contagione arcendis, ita conspecta fuit caritas, præ qua vitam despiciebant, ut omnium in se oculos conuerterent, & obstruerent ora maledicentium:

tium: nec quicquam tam in votis erat totius ciuitatis, quam vt redirent ceteri ( quod & factum est diuino concessu ) omnes incolumes .

### COLLEGIUM IAROSLAVIENSE.

**C**OMMUNICAVNT in aede nostra quatermille septingenti octogintaquinque : aperuerunt malefacta omnium annorum trecenti septuaginta nouem : eorum vnus accepto beneficio: quod persequentibus inimicis , aqua gelida , in qua noctem vnam ac diem dimidium fuerat collo tenuit immersus , latebram praeuisset: alterum quemdam rusticum reuocabat malus daemon a confessione, hominis instantis tibias specie sapius obiecta : sed odor poenitentiae disflauit ventosam imaginem. Ad Ecclesiam redierunt schismatici duodecim , haeretici sex , & vnus qui descuerat ad Turcas . Tartarus praeterea , & Iudaeus , instituti ad baptismum : mulier a tadio vitae, altera ab inanitate superstitionum ad vitam meliorem adducta . Sacerdotes duo instructi exercitijs nostri Patris Ignatii , in suis muneribus egregie versantur . adolescens deprehensus in furto capitis erat postridie damnandus : it ad eum Noster , vt opem ferat afflicto : sed ita consternauerat hominem ignominia mortis , & terror , vt orationem dominicam dicere incipientem mens ipsa deficeret , non tantum memoria : lacrimae dumtaxat anhelum pectus inundabant : dilatatum est supplicium : dum tandem confessus est , & postridie quam perce-

percepit Eucharistiam fidentiore animo decessit e vi-  
 ta. Mulierum quoque nonnullarum pudicitia amor  
 enituit: inuenta sunt, quæ fuga periculum euase-  
 runt, quæ resistendi audacia: & discessit vna vul-  
 nerato corpore, pudore intacto. at hoc, quod se-  
 quitur, illustrius. Vir perditus equo insidens cum  
 in mulierem incidisset solam in agro, ad eam adhin-  
 nit, arripit manu venientem, vociferantem, & hu-  
 manum auxilium summa contentione implorantem;  
 sed frustra, nemine exaudiente: igitur tacitis votis  
 inuocat miserorum patronam in desperatissimis re-  
 bus matrem Virginem, cum sponsione ieiunij ad cer-  
 tos dies: preces audita: desilire properantem ca-  
 cum libidine ferociens equus, ceteroqui mansuetus,  
 iactatione crurum & cervicis in transuersum agit:  
 vt cum vna manu sustineri non posset, ad regimen  
 fuerit altera adhibenda, dimissa muliere, qua se sta-  
 tim ex arcto nexu, Deipara gratulans, præcipiti fuga  
 euellit. Neque omittendum est, ab vna florenos mil-  
 le sponte oblatos ad nostri templi adificationem. Sed  
 luctuosum illud tempus quo pestifera lues vulgabat  
 morbos illustravit studium Nostrorum iuuandi pro-  
 ximos. Singulis fere diebus confessiones exceptæ, &  
 quidem generales, præter eas quas supra posuimus,  
 centum sexaginta. Itum quoque ad loca vicina, de  
 quibus nonnulla reddentur. Præuorscij (nomen est  
 oppidi) vnus e nostris concione & Catechismo fre-  
 quenti, fere per mensem, ita pietatem promouit, vt  
 oppidanorum luxus, qui erat non modicus, verte-  
 rit in cultum caelestium. confessi de peccatis totius



vita ducenti circiter & sexaginta, Denæ opificum  
 Sodalitates magistræ intemperantiæ sublata ex Se-  
 natus consulto. Magicarum litterarum nota in mem-  
 brana auertendi pueris morbi, vel fascini, exusta,  
 actum cum duobus primoribus, vt ponerent odia in  
 perniciem itura. Neophytus in Fide firmatus,  
 Leopolim quoque excursus est sacrorum antistite  
 rogante: præculi Sacerdotes futuri: quinquaginta  
 sex auditi de criminibus quæ vniquam admiserant:  
 fenebris pecunia reddita: duo de peruersa religionis  
 sententia detrusti. Hestio quadragenarius salubri  
 qua lotus, vnus ab amentia, confessionis remedio,  
 liberatus. Dissidentes aliquot mutuo reconciliati,  
 Cuiusdam simplicitatem astus Calvinistæ nobilis il-  
 luserat, correxit pene miraculum: persuasum est bo-  
 mini vt ad sacrilegam cœnam accederet: dum inibat  
 panem, quem execrandus porrigebat Sacerdos, re-  
 pente in prauum elapsæ manus, vt debilis factus vi-  
 deretur: instante ministro, & segnitiam verbis ca-  
 stigante, sumere iterum parans, siderato similis in-  
 prostratus est animo, & corpore, vt ostentui esset:  
 tum vero publice hæresim detestari, & palam præ-  
 dicare nulla veneratione prosequi illum panem,  
 quem simplicem esse intelligeret: post hæc centum-  
 viginti milliarium Germanicorum itinere ad nos ve-  
 nit, & caelesti pane rite atque ordine refectus est.  
 Rudnici (hoc etiam oppidum est octo millibus di-  
 stans) magnifica fundatrix Domus Probationis Cra-  
 couiensis de tota vita voluit confiteri: quod factum  
 ab alijs quadraginta: irrita matrimonia correctæ:

mutantes roborati in Fide. Sed & vnus olim nobis adeo offensus, vt vel audito Iesuitarum nomine furenter irasceretur, nunc ita mitis est factus, vt & semper audierit concionantes, & si quando vocati apud eum sumerent cibum, honore iudicioque letaretur. Præmisliæ, in templo maximo, inuitatu Proepiscopi, concionatus vnus ferijs natalitijs, & hebdomada præcedenti, audiuitque nonnullos e Sacerdotibus ciuibusque confitentes: omnibus propter paucitatem dierum satisfacere non potuit. Matrona, & claritudine familiæ, & hæreseos pertinaciâ, nobilis, bonam mentem habere cœpit, magna piorum gratulatione, quorum numerus auctus. reliquit hic discedens ignotum pridem nomen Societatis, non tantum magnum, sed etiam bonum.

## COLLEGIUM CLAVDIOPOLITANVM.

**O**PERA, in iuuentute erudienda, re Catholica Hungaricis, Germanicis, Latinis concionibus, alijsque Societatis nostræ muneribus promouenda, præclare stetit. Ex flore iuuenum ad nos ventitantium hæresim exuerunt ad sexaginta: septem ingentiorum animum ad Societatem applicarunt: præter alios duos, qui, vt esset res cautior, Romanam missi. Magnus omnium fuit labor in discessu ab Aegypto. sed Deum sequenti nihil difficile. Ex his vnum ex Seminario, rem fortasse subodorati paruentes in patriam acciuerunt: & quamquam ipsi cognatiquæ adolescentem absterreere minis, allicere

blanditijs, nuptijs retinere conati, ab eo tamen reli-  
 cti, quod Christo adherere bonum esset. Similis al-  
 teri cum propinquis Catholicis pugna, & victoria  
 fuit. Alius cum ad suos redisset. parentemque genuis-  
 set Catholicae religioni, contempta aula viri princi-  
 pis, vt abiectus esset in domo Dei sui, ad nos victor  
 reuertit. Ceterum magnus eorum ardor, qui in Se-  
 minario Pontificio pauperumue Contubernio ale-  
 bantur: vt si quis recens accederet, eum puderet in  
 tanta Catholicorum multitudine haeticum esse: &  
 si aliqui interdum ita se duos praeberunt, vt fuerit  
 opus (quamquam nocturnis imaginibus interpellan-  
 te diabolo) Patris Nostri Ignatij exercitijs ad eo-  
 rum pectora emollienda. Ex Seminario Pontificis  
 baptisate lustrati duo splendidis natalibus. Iam  
 qui conuersi sunt, turpem ducentes parentum haere-  
 sim, vel cognatorum (a Nostri licet communiter  
 singillatimque admoniti, vt non nisi prudenter, &  
 captato tempore id facerent, saepe etiam coerciti)  
 opportune importune vt meliorem capefferent men-  
 tem, sic eos adhortabantur, vt illis terrori essent.  
 Eam ob rem, cum actum est de Nostri exigendis, vt  
 modo dicitur, iactatum ex hac disciplina timendum  
 esse posteritati. Instituta erat congregatio Corporis  
 Christi, frequentioris Communionis addito praecepto:  
 ex sodalibus Parthenijs probatissimi quique in  
 eam admittebantur: & spem dabat vberissimi fru-  
 ctus: nec fallacem futuram fuisse vel ex eo apparuit,  
 quod cum, vix tribus mensibus ante quam pellere-  
 mur, habuisset initium, praeter eos de quibus supra  
 dictum

dictum est, quinque sunt Nostros secuti in Poloniam, ut inter socios adscriberentur. Est etiam cum alijs non infructuose laboratum: renuntiavit heresi supra centum: ex hoc numero sacerdos octogenarius, qui incestas nuptias contraxerat: & mulier, diuina prouidentia: ducebatur ad patibulum, in eam incidit sacerdos magno ipsius bono: conuersa, confessa, mortua est ritu Catholico. Viro cuidam capitalem penam Nostri deprecati. Siciliam (hanc crediderim esse regionem proximam) lustravit vnus e Nostris euidenti utilitate, praecipue sacerdotum: nam & mores composuerunt plerique, & multi, ut melius instituerentur, Claudiopolim profecti: quod & fecerunt professores litterarum, relictis scholis, quibus moderabantur: igitur ex ijs, qui nobis dabant operam, ut munus illud cum laude sustinerent submissi nonnulli: & si superfluenta multitudine eorum a quibus expetebantur, non omnibus satisfactum: tres praeterea alumni Pontificis sacerdotes effecti: ij, quemadmodum adiuerunt Nostros quamdiu hic fuerunt in hac silua repurganda, ita etiam nunc, eorum vicem absentium utcumque explebunt, in semente tuenda, & conseruandis reliquijs, ne afflatu pestilentis sideris exarescant. Non pigebit nunc collocare alia de pietate aliorum, re fortasse parua, sed ratione loci non paenitenda. Aliquot nobilium familiae diebus celebrioribus bidui itinere aut etiam tridui ad nos affluerunt: sanctiore praeterea hebdomada mulier primaria vnus diei viam pedibus confecit causa Sacramentorum: magnam etiam admirationem

habuit Praefectus quidam arcis Catholicus: is enim cum vniuersa familia, totum templum nostrum, Crucem adoraturus, genibus perrepfit. Reliquorum approbata religio tum saepe alias, tum maxime in comprecatione quadragenarum horarum, quae hoc anno quinquies decreta: in quotidianis deinde orationibus, & supplicationibus publicis, quae per sefquimenssem toto comitiorum tempore festis diebus indictae. Eximia pietas totius Academiae: haec vnum sibi diem, alterum Seminarium Pontificis, tertium congregatio sanctissimae Virginis, delegerunt, continuis precibus numinis propitiandi: sed nullum cepperunt maius spectaculum insueti oculi, quam cum tandem ipsi adolescentes, vt in re trepida, a Nostris extorserunt publicam in templo nostro corporis diuerberationem. haec omnes machinae ad nos retinendos adhibebantur. Deo aliter visum. Sed antequam venio ad tragediam, addam duo. Postridie feriarum beatae Virginis tectum templi de caelo tectum, sine vlllo damno: nec caruit admiratione, cum in materia tam facili ad exardescendum timeri posset incendium. Nunc audite rem alteram scitu dignissimam. In hac ciuitate rabula Arianus in die sancto Pentecostes multa contra diuinitatem Spiritus Sancti ore spurcissimo euomuit: sed non diu distulit poenam. eadem hebdomada in peruigilio augustissimae Trinitatis, in quam, vt postridie inuehertur, se instruxerat homo impius, cum relaxandi animi exisset domo concionabundus, non casu dicam, sed Dei vindicis iudicio sacrilegam linguam appre-

apprehensam sibi ipse mordicus ita compressit, ut infixis dentibus conscinderet. ergo tum quidem male dicendi (neque enim umquam postea suggestum conscendit) nec ita multis post diebus viuendi etiam finem fecit.

REPETITA BREVITER HISTORIA  
Nostrorum ciectorum e Transilvania.

**I**AM QUONIAM huc ventum est, ut dicendum sit de Nostrorum e Transilvania egressu, paulo altius repetenda quaedam, & de ingressu videntur. Stephanus Bathoreus Vainoda Transilvaniae, quo erat studio proferenda Catholicae religionis, Societatem nostram perinde benigne, quam liberaliter, in Transilvaniam inuitauit. ea dum tenet deliberatio, delectus ad Poloniae regnum, Christophorum germanum fratrem in principatu Transilvaniae sibi successorem relinquit: nec multo post Christophorus, cum & ipse idem cuperet, suadente rege, prudenter inchoatum consilium constanter perducit ad exitum. It in eam regionem Societas confirmatur comitijs publicis, fundatur Collegium, & Academia, Claudiopoli, attributis bonis Cœnobij Monasteriensis. Christophorus interea Sacerdotes aliquot e Nostris secum retinet Albae, quibus magistris, Principis filij pueritia adolesceret: quod etiam moriens in extremis mandatis reliquit: idemque Stephanus rex, in morte, quod & ante fecerat in vita, probauit. Hac cum ita essent, & Nostrorum

rum cura educatus Princeps optima indolis per omnem honestarum artium cultum, Deique timorem transigeret pueritiam, & Transilvania iuuentus, Nostris docentibus Claudiopolim haberet sedem studiorum, ac magistram, gaudebant primores regni, & Principis, & filiorum profectu: tamen non sine indignatione: verebantur, ne augescente non tacitis incrementis religione Catholica, falsa eorum secta dilaberetur. Igitur quamdiu Stephanus concessus est orbi, iram metu prementes, ad ipsius se nutum fingebant simulatione obsequij: ubi defecit is, quem timebant, nec satis roboris adolescentulo Principi ad resistendum, male dissimulatum odium aperiunt, & Ministris accendentibus faces tam Caluinistis quam Arianis, in omnibus conuentibus, de nobis exterminandis plurima dissertabant: obijciebatur scopulus duplex: primum, nemo reperiebatur idoneus rector Principis adolescentis, quem satis amplius doctores Iesuitæ instruxerant, qui etiam apud illum caritatem sibi parauerant loco auctoritatis: deinde verebantur, ne si quid contra Catholicos designassent, incommodarent Principi, in petitione Polonici regni. Illa ubi spes concidit, capiente sollemnia regni Sigismundo, huc intendunt, ad Iesuitas non quidem e Transilvania (hoc enim maioris operis videbatur) sed saltem e Principis aula remouendos: sic facilius factu fore, ut teneram adolescentis mentem, Catholicis orbatam preceptoribus & preceptis, peruerterent. Igitur Kalendis Nouembribus, Egnedini, in conuentu, Nobilitas Transilua-

na Arii & Caluini impietatum emula, a duobus, vt fama est, vel a tribus dominandi cupidis impulsæ, insilit petere a Principe, eijceret Iesuitas, Idololatriæ olim explosæ restitutores, Hispanica inquisitionis perductores, buccinatores Romani Pontificis, inuentutis corruptores: hæc enim crimina spargebantur, testis nominibus, & ad fallendum instructis: quæ ne ipsi quidem Catholici satis intelligerent. petierunt Nostri, vt capita accusationis scripta darentur: illis abnuentibus, ad Principem & Senatum impetrato aditu: præfati ad eam diem tacuisse in omnibus cætibus, quod illustrissimi Principis & Senatus amplissimi beneuolentiam erga se perspectam haberent: de qua ne tunc quidem dubitarent: nunc maleuolorum obtrectationes in tantum prorupisse, vt nisi respondeant, silentium aut timidum, aut contumax haberi posset: Pater, qui erat pro Prouinciali, legit defensionem, quam scriptam habebat, perlectamque Principi tradit. Laboratum est in his comitijs, quæ erant peculiaria loci vnus, vt in publicis res tota cognosceretur, irrito conatu. Nobilitas in eo perstitit, instigantibus Arianis: quin & ad illud vsque tempus tributum soluturam negant: nec aliter fecit ac dixit, pessimo exemplo. Catholici interea Claudiopoli, Alba, Varadini, ad placandum numen conuersi, precationibus, supplicationibus, corporis castigatione, inedia, nihil non agunt. Theses a Nostriis de vera falsaque idololatria ad excutiendum propositæ. Quies aliqua videbatur rerum, conuentu publico in comitialem



dialem annum, qui erat proximus, reiecto: sed non  
 ferre iniquitatis ministri: tentaturos aliquid Iesui-  
 tas hoc tempore, affore Andream Bathorem Car-  
 dinalem, qui aduentare dicebatur, ceptum omne  
 sua praesentia & auctoritate disturbaturum: tun-  
 dendum ferrum, dum candet: hostem impulsum pro-  
 sternendum. Valefcere impetu, audacia consilia,  
 mora vanescere. Haec ubi accepta auribus ani-  
 misque, exoriuntur comitia repentina, inita in op-  
 pido Saxonico, Meggesio, peruigilio Apostoli Tho-  
 ma. eo die volitare Ariani, & eorum assecla Cal-  
 uinista: inferere se consultantibus, & Principis  
 consiliarios nonnullos, quos euocauerant, turbulen-  
 tis concionibus obtundere: rapiendum esse tempus,  
 regnum in tuto collocandum exturbata Papistica di-  
 sciplina. Quid enim agunt aliud Iesuita, nisi vt  
 Romano Pontifici obtemperemus? hos ne semper  
 timebimus, per secreta colloquia cum Principe,  
 per liberos nostros domi, per argutos sermones in  
 publico? Quin vos eiectis istis speculatoribus oc-  
 casioni intentis, liberatis regnum periculo, in-  
 uentutem insidijs, senectutem metu? Haec illi in  
 comitijs: ad qua etiam Nostri (magis ne sibi dees-  
 sent, quam quod inclinatum iam Nobilitatem & in  
 procliu labentem retenturos sperarent) sibi venien-  
 dum rati, duce Christophoro Ceressturio viro Catho-  
 lico & pio, in confessum Senatorum deducti pri-  
 mum, deinde in templum, quo conuenerat Nobilitas  
 (etsi eos aliqui non introducendos censuerant) cum  
 admissi fuissent, Sacerdos is qui Prouincialis vicem  
 gere,

gerebat, in hunc ferme modum Latina lingua locutus est. Ut comitia ista vobis, coniugibus, liberis vestris, toti regno prospera eueniant, Deum immortalem oro obtestorque: neque ego tantum, sed quot sunt, mihi socij vestris in terris, atque adeo, (vt vnum idemque sentimus omnes) in orbe Christiano vniuerso: quo magis miror, quid cause sit, cur de amicis vestris expellendis consilia agitetis. Septimus annus est, viui nobiles, ex quo in Transiluaniam Societas nostra rogatu accersituque Principum vestrorum est introducta: hanc ij, tres ordine, sua auctoritate, vestri etiam conuentus, publica fide firmarunt: nihil a nobis actum, dictum, cogitatum, quod esset aduersum rationibus regni, aut a dignitate vestra alienum. iam manere in nostra possessione quæ tandem inuidia est? Vnum obijcitur verbo crimen, auditu quam intellectu suspiciosius: quod istos vestros doctores, qui, vt nequid grauius dicam, abutuntur facilitate vestra, si modo congressionem, vt sæpe alias, non refugiant, vel toto regno disceptante, docere parati sumus. Quod si benefactis hæc gratia rependitur, vt inauditi, indefensique mittamur, qui manebit honos Bathoreorum generi, si indignos vocabant, si ambiebant arcendos? Sed eorum factum, si rem ipsam consideres, salutare Transilvania fuit, & iudicium laudandum: etiamsi aliqui turbent. Cauete vos ne turpe sit vobis sine causa eos dimisisse, quos illis fuit accersisse gloriosum: nobis quidem, locus quo recipiamur ab expectantibus, deesse

esse non potest. Ceterum, viri nobiles, ad tam gra-  
uam deliberationem ne adhibete celeritatem, &  
iram: hæc enim rationi inimica est, illa consilio: cun-  
ctatio & maturitas propiores sapientiæ. Hæc cum  
dixisset, eadem Hungarice repetijt sacerdos alter,  
addita breui refutatione eorum, quæ pridie a Mini-  
stro contra summum Pontificem, & Catholicam  
religionem iactata essent. Ad hæc atque talia, a No-  
bilitate Senatuque, obtentu longioris consultatio-  
nis, dissimulata responsio. Eodem tempore Ceres-  
turius, nomine Catholicorum, qui erant non pauci,  
litteras obtulit, quibus postulabant, vt secundum  
decreta regni æqua esset omnibus religionis liber-  
tas, ne ve ipsi carerent pastoribus animarum, aut  
eorum pastores acerbe tractarentur. Sed tunc quo-  
que, vt sæpe, vicit deterior sententia. Postridie,  
quamuis repugnantibus Bathoreis, ceterisque Ca-  
tholicis, & vero etiam Somborio Quæstore regni  
Lutherano, Nobilitas ad Principem misit libellum  
supplicem, quo iterum vrgebat, vt Idololatria, &  
Iesuitæ eius propagatores e regno extruderentur:  
responsum dilatum a Principe in alterum diem, da-  
tumque nobilibus in hanc formam. Inique postulari  
ab ipsis, a se honeste permitti non posse, rectores  
pueritiæ suæ, sibi a patre patruoque rege commenda-  
tos, publicis comitijs approbatos, nullius criminis  
reos, sed ne leui quidem suspitione præstrictos, inui-  
dia tantum Catholicæ religionis, quam ipse pariter  
profiteveretur, indicta causa, eijci e regno: æquum de-  
inde esse, vt etiam Catholicorum, & aliquorum

præterea procerum alterius sectæ preces excipiantur: quorum vel salutem animorum, vel institutionem liberorum, quo utroque in munere cum utilitate totius regni elaborant Iesuitæ, negligere nefas. Die sequenti alius obtruditur ab hæreticis libellus in Nostros maxime criminofus: eos esse hostes animarum, infestos fidelibus, turbidi ingenij, auctores inuehendæ Hispanicæ inquisitionis: proinde iam nunc tandem regno excutiendos, ne prauitas tam insensa molientium, in publicam perniciem erumpat. addebatur, quæ bona a nobis possiderentur, Stephani regis & Christophori Batboreorum concessu, saluis legibus teneri haud posse, aduersum comitia, quæ celebrasset Isabella regina. cautum illis erat, ne bona ecclesiastica semel ad fiscum deuoluta, in usum ecclesiasticum vlllo vniquam tempore reuenterentur. alterum offerunt contra, quando res scriptis agebatur, Catholici, & superiora diluebantur: iniustum fuisse illud conciliabulum, & sine capite pro vano habendum, inualido perinde initio, & irruo fine. quam enim iniquiorem legem, quam si Clerici, quos æquitas ipsa eximios habet, suis bonis, atque eorum iure fraudentur? Hæc inter, Præfectus, Gubernatorem appellant, malorum omnium caput, penes quem & ararium publicum, & satellitium, per suos, vt ferunt, emissarios concitata multitudine minuta Nobilitatis, varioque terrore expugnatis Catholicorum animis, qui cum Principe sentiebant, ipsum etiam Principem, defectionis metu iniecto, vel inuitum adegit subscribere impijs postulationibus:

bus: nec mora: in pervigilio natalis Domini, sub  
 horam alteram noctis, accitos Nostros in aulam ita  
 eos Cancellarius cum altero Senatore allocutus est.  
 Quandoquidem vniuersæ Nobilitatis sententiæ eo  
 decurrerunt, vt vos absitis e Transilvania, & Prin-  
 cept vnus tantam molem sustinere non potest, nisi  
 malit obteri, vestri consilij est, quid faciendum esse  
 censeatis: & cupit quidem ille memor vestri bene-  
 ficij, suorum magistrorum tueri innocentiam, & iu-  
 ra defendere: sed nunc tamen eo in cardine res est,  
 vt vel vobis sit cedendum in præsens prouincia, vel  
 ipsi in perpetuum principatu. parendum tempori,  
 & minimum eligendum de malis, sunt effata sapien-  
 tum: magna procellæ sunt populi in idem conspiran-  
 tis: & imminente naufragio, conseruandæ salutis,  
 vel carissimæ merces in mare deijciuntur. nec vero  
 fas vobis habere omnia loca, quæ hactenus in Tran-  
 silvania habuistis: aduersari hoc legibus, quibus  
 vetitum Ecclesiasticos recipere bona, quæ semel  
 amiserint: & hunc locum maxime premere aduer-  
 sarij: nec habet Senatus, quid respondeat. ita eo non  
 prohibente magis, quam approbante, defensio ve-  
 stra cõsedit. Equidem & si vos monitore non ege-  
 tis, tamen in hoc ancipiti malo, id darem consilij: vt  
 quando id non potestis, quod vultis, velitis id, quod  
 potestis. Quin vos offertis vltro, quod estis amissuri,  
 & hanc initis gratiam a Principe, vt qui a vobis cũ  
 hic fuistis, accepit eas artes, quibus se regat, reti-  
 neat vestro discessu auctoritatem regnandi. Vestrum  
 non dimicare hoc tempore erit vincere: quibus  
 etiam

etiam expediet semel cadere, quam semel pendere. Ad ea breuiter Nostri, tempori, & muneri conuenientia. Abrogatum posterioribus decretis, illis prioribus, queis vel ab initio nullum robur: non esse e dignitate Transiluanie, a Principibus accitos homines, confirmatos auctoritate comitorum, eijci finibus, vt exturbentur bonis, quibus homines inhiant: nam quæ alia causa mittendi? Quod si implacabiles sunt animi multorum, vt consulatur publica tranquillitati, medium capiatur consilium: finis aliquo tuto in loco, dum residat tumor, & furor incensus ineriectu temporis languescat. non deerit fortasse, qui iniuriam impositam Principi, nostra restitutione reprehendat. Nihil valere quæ dicebantur. Natalis dies illuxerat: antequam sacrum facerent, haberent ve concionem, Princeps ipse renuntiat, stetisse sententiam, vt cederent ex omnibus ciuitatibus regijs, eamque reuocari non posse. sint tamen, si volunt, in suo Monastoro, quod cænobium est Claudiopolitano suburbio continens. Ad extremum libellum supplicem dedere Nostri, breui auditu, cum expostulatione: hic etiam frustra fuit. eodem die, auctores tragædiæ edictum consonum orationi Principis in Comitio promulgarunt: neque eo tantum contenta Nobilitas, ijsdem inflammanibus, seu quia priora processerant, vtens occasione, plus etiam petijt, quam a principio optare ausa esset, vt tota in Transiluania ijs ne esse liceret. Igitur postridie in ferijs sancti Stephani protomartyris post sacrum, quod postremum audiuit Prin-

ceptis, sollempni exordio, Principes persecuti sunt me-  
 gratis, vltimum telum vibratum est in Iesuitas, Prohibuit Praefectus pedem efferre ex hospitio, &  
 ad aulam accedere: nec defuere, qui, Nostrorum  
 nomine, quaesierunt de Principe, num adhuc vel-  
 let vti eorum opera in sacris faciendis: respondit  
 Praefectus nihil amplius istis sacris Principi opus fo-  
 re. ita die sancti Ioannis sacrum instrumentum re-  
 missum cum proluxa excusatione: coerceri non po-  
 tuisse incitatum suorum libidinem, ne coercitio plus  
 afferret mali: cautius visum, nihil adrectare sine  
 spe obtinendi: eos discedere se non assentiri, sed pati,  
 communis debet esse dolor in vulnere communi, &  
 certe ingemuit bonus adolescens eiectioni Nostro-  
 rum, itaque per totum diem non temperauit a lacri-  
 mis, vt vs siccandis duo linteola madefierent. an-  
 gebatur praecipue, cum cogitaret, hoc facto insi-  
 gnem aspersum iri maculam nomini suo, quod Iesui-  
 ta apud Pontificem maximum, ceterosque Princi-  
 pes Catholicos, in luce posuissent. igitur eo die, Meg-  
 gestio dimissi, Claudiopolim versus, vnde post tres  
 septimanas omnino discederent: quo die tanta re-  
 pente vis ventorum, & turbo, dicitur extitisse, vt  
 & tectum templi, in quo conflatum fuerat infame  
 decretum, & camini culmen ex aedibus Principis,  
 & pontis Albani partem deiecerit. Post haec, vt da-  
 retur siue inimicorum pœnitentia, siue amicorum  
 consensui spatium, postulata a Nostris missa ad Prin-  
 cipem. eorum tria capita. primum, vt liceret ex-  
 pectare, dum tempus mitesceret, neve hieme gelida,  
 & ni-

& niuosa per vias iam clausas discedere cogeren-  
 tur: deinde vt Pater Lelesius, qui olim adnotus  
 spei Principis in eo informando multis laboribus,  
 eam infirmitatem corporis contraxerat, vt propius  
 abesset ab extremo, Albæ, prope templum Catho-  
 licum, opperiretur mortem, & sepulcrum: de-  
 mum, vt exituris daretur publicum testimonium de  
 titulo discessus: cum ob crimen nullum amandentur,  
 sed ob inuidiam Catholicæ assertionis, illa priora duo  
 silentio transmissa: nec, miserante licet, ac retine-  
 re cupiente Principe, Patri Lelesio decumbenti in  
 lecto manere permissum: inhabili quamquam cor-  
 pore labori, & itineri, fuit asportandus. Postre-  
 mum postulatum concessum cum testificatione irri-  
 tata in nos Nobilitatis studio religionis: adiecto in  
 alijs rebus honore verborum. nec gauisi diu archi-  
 tecti facinoris, Præfectus ille, & gubernator, aut  
 excitator potius ventorum, qui scitum extorsit,  
 statim abire magistratu iussus, & nihil impetrans e  
 nostris bonis, quæ iam spe deuorarat, cum despon-  
 disset animum, antequam Nostrî Claudiopoli disce-  
 derent, est mortuus: vociferatus, sero, & se miserum  
 clamans, quod non seruasset fidem Stephano regi,  
 Iesuitis expulsis. alij qui Nostris discessuris non  
 satis moderate ferebant lætitiã, repentina animo-  
 rum mutatione, ita sunt in fugæ misericordiam ver-  
 si, vt fauere etiam inceperint: quin & de reductio-  
 ne cogitent, ni Ministrorum pertinacia resistat. No-  
 bilitas quoque, vt bona carendo magis intelli-  
 gimus, quam fruendo, seipsa collegit, cum liberos



qui in Seminarijs domi erudiebantur, nunc in Germaniam, Galliamve, mittere, & habere illic maximis sumptibus cogantur. Insultabant interea alij Claudiopoli, quo Nostri conuenerant, & vix manus abstinebant: sed & Principis nota erat voluntas, & ipsius iussu, dispositum presidium ante fores Collegij, violentos impetus retardabat. per eos ipsos dies munia Societatis exercita incredibili fructu: ad concionem, profestis etiam diebus, concursus maximus: ad confessionem tantus, quantus in nauinaufragio ingruente: nec facile dictu est, qui fuerit sensus Catholicorum, & nonnullorum, alta licet infectorum hæresi, Nostris abeuntibus. Prosequebantur illos maestri, maestiores redituri: sacras manus osculis fatigabant: tam crudele discidium flebili vultu lamentabantur: ad festinum reditum, implorata ope Pontificis, & aliorum Principum, exhortabantur: orabant solatium solitudinis: tandem questibus finem imposuit necessitas professionis.

### MISSIO MOLDAVICA.

**M**OLDAVIA, quæ & pars Valachia, Transilvania contermina, per multa, non minus bellorum, quam cognationum arbitria, superioribus temporibus iactata est: & nostra quidem memoria, Sigismundo Augusto regnum Poloniae tenente, Alexander aliquamdiu quietus imperitavit: dum a Despota Sami Turcicis Bassis, veru-

mor fuit, auro corruptis, adnitentibus hæreticis & Polonia, exturbatus est Principatu. Dominatum exercuit Despotas, ea perfidia, qua inuaserat: Catholicas ades, veris possessoribus exactis, dedit hæreticis profanandas. Hunc deinde Thomsa, Moldauis conspirantibus, vita & dominio exiit. Sed neque Thomse diuturnum imperium fuit: propter crudelitatem Moldauis offensus, reuocatoque Alexandro, eiusque sobole, eiectus, & a Sigismundo rege Leopoli capite multatus est. Moritur Alexander, resque Moldauorum in filium eius Bogdanum translata: is, dum extra fines ditionis versatur incautius, a Christophoro Thorouio in vincula conijcitur: mortuum Moldauis existimantes, Iuoniam virum strenuum, & egregium bello, Principem legunt: restituere moliebatur Bogdanum Sigismundus, sed obsistente magna nube Turcarum, nec ille restituitur, & Iuonia in prælio, interimitur, magna inimicorum strage edita. Turcæ imponunt Moldauia Petrum, hominem moderatum, & tantæ molis capacem: nec diu potitus imperio, Ianicula Turcicis viribus succincto, in Moldauiam irrumpe[n]te, in Turciam se recipit: non multo post Ianicula, cum seuitiam sumpsisset in suos, in Polonos superbiam, & querelam ad Turcam fœderatum Stephanus Poloniae rex detulisset, in Moldauiam Petrus reducitur: Ianicula fugiens capitur, & ad Stephanum regem adductus pœnam capite luit. Igitur, cum magna esset apud Petrum Stephani veneratio, deque eius pietate & Orthodoxæ religionis

studio, accepisset a Barptolemaeo Bruto Albano Praefecto cubiculi, simili exemplo Ecclesias Catholicis restituere cogitavit: dat interea negotium Archiepiscopis, Leopolitano, & Neapolitano, qui tunc Pontificis Nuntium agebat in Polonia, ut aliquot Iesuitas promovenda Catholicae Fidei, a Pontifice obtineant: cura id fuit Pontifici maximo, remque Romae commendatam Praeposito Nostro Generali, & in Polonia Nuntio, Aldobrandinoque Cardinali Legato, consici iubet. Decedit Stephanus: ex legatione Romana redit Leopolitans Antistes: cum Petro Principe negotium urget: tandem hoc anno Kalendis Septembribus Sacerdotes duo Ioannes Suonionianus, & Iustus Rab Moldaniam ingressi, cum commendatione Pontificis, & Sigismundi Poloniae regis: acceptique perhonorifice. Quoniam autem Princeps erat in castris, & pleraque loca peste infestabantur, dum ea deserviret, in oppido quodam, loco satis tuto, & commodo, collocati: Romanum appellant. Pretium erit cognoscere quaedam de Principis pietate, ut vel ex hoc initio liceat coniectare, Deo adjuvante, qui sit finis missionis futurus. Redditas sibi primum litteras Pontificis exosculatus, capiti imposuit, more gentico, causa venerationis. Locuti cum illo per interpretem sermonum: itaque libenter audiri, ut lacrimae e turgentibus oculis eminerent. Oblata sunt & munuscula, caelestis agnus in consecrata cera, & libellus martyriorum depictus: grato animo accepta. Libellum postridie Princeps cum evolueret, de Graeco sacerdote (Calogerrum

rum vocant) defixis oculis in Petri martyrio, quaerit quid sentiret de primatu Petri. Hic Graecus, primum designatum fuisse inter Apostolos, propter ordinem, & Hieronymum testem citabat: ceterum aequam potestatem omnibus fuisse. Instat Princeps, Cui claues a Domino commissae? Petro, excipit alter. Vbi sanguinem fudit Petrus? Roma. Vbi reliquiae eius requiescunt? Ibidem. Igitur, addit Princeps, vbi caput Petrus posuit, ibi & claues successoribus reliquit. Elinguis ad ea Calogerus. Iterum scitatur, vellet pro Christo subire martyrium: non ita aequo animo, respondet Calogerus. At mihi vile esset corpus, Princeps ait, si ea gloria contingeret, vel morte mercanda. Dicebat idem ad Nostros (per nouem enim dies, quibus commorati sunt in castris, ter apud illum fuere) in ditione sua nullum Ministrum haereticum pati velle: curias omnes, quae ritu Romano vterentur, omnesque curiales, eorum potestati permittere. misit dein ad illos vnum atque alterum Ministrum, qui nuptias contraxerant, vt statuerent poenam, statim ipsius iussu irrogandam. at Nostri non venisse, dixerunt, vt homines pereant, sed vt conuertantur, & viuant: nibilo secius Ministros illos ab Ecclesia Princeps remouit. Ipse porro Petrus, & magna pars regionis, ritibus Graecis & Ruthenicis vtuntur, Ruthenica lingua: neque Patriarcham Byzantium agnoscunt. In tota Pronincia quindecim circiter oppida, in quibus villisque proximis Hungari, Saxonesque: sed illorum maior pars, nullus litterarum

usus : notitia fere nulla . nec tamen hebes ingenium gentis , magis callide , quam simplicis . Coloniam fuisse Romanorum ex vultu , sermone , moribus , opinio est : nec spes deest mansuri fructus : modo vocandi Sacerdotes ( nam adhuc extra Nostros sunt nulli ) imbuendis animis , regendisque , Nostrorum instituta persequantur .

### POLOCENSE COLLEGIVM.

**N**E HOC quidem Collegium ab aduersariorum tumultibus vacuum fuit . illis , iuxta cum alijs , mors Stephani animos erexerat . ita toto interregno in priuatis conuentibus Polociae , Vilnaeque , tum vero in publicis Lithuaniae , deinde in maximis , omnium ordinum , Varsoviae , ubi agebatur de rege adoptando , agitatum perpetuo de dissoluendo Collegio , tamquam nec e legibus esset , nec e rationibus regni . at , satis tutus est , cuius Deus suscepit defensionem . ea res non tantum declarauit , verum etiam acuit erga nos studia multorum . nam super Catholicos , haeretici aliquot , rerum capita , sic e defensoribus alioqui sui similium , repente patroni nostri euaserunt , vt summo studio sint adnixi ad nostram causam ab inimicorum impetu vindicandam . Sub eos dies quibus Sigismundus erat insigni regio euinciendus : quidam Dynasta , alijque sub umbra eius auxilij inuaserant in bona Collegij , vi manuque iniecta : sed missus a rege ex eius cohorte vir nobilis repulit iniquos eorum conatus , & Collegium

legium in pristina restituit: ipsique Dynasta, ut in posterum quiesceret, per litteras imperatum. Ceterum per Nostros schismatici duodecim cum Ecclesia reconciliati: religionis vnus, & religiosæ familie desertor, ad Fidem redijt, statumque meliorem. Virgo iam adulta ex Anabaptistis parentibus sacro fonte lustrata. Nobilis vir nutans in Catholica sententia confirmatus. non pauci relicta plane heresi, etsi adhuc tenaces Ruthenici ritus, tamen Sacra nostra, & conciones frequentant: nec dubitandum est, quin extrema faciliora principijs sua natura difficilioribus in perpetrando opere consentiant. Numerum discipulorum auget, tum frequens iuuenum exercitatio in agendis dramaticis, quibus capiuntur ciuium oculi animique, tum exacta magis Gymnasia disciplina. Creuit etiam ornatus templi liberalitate multorum. Et expetitur quidem a vicinis toparchis: sed ea inciderunt tempora, ut propter paucitatem operariorum, pia illorum vota laudari debeant, expleri non possint.

COLLEGIVM CALISSIENSE.

**L**ABORIS materia sex Collegarum accessione auxit numerum laborantium: e Craconiensis Nouitiatu quattuor, aliunde duo submissi: data aurea consentibus amplius mille, & de peccatis quidem totius vitæ, fere quadringentis. Hæretici decem, & ex ijs nonnulli iam c. mo capillo meliorem mentem induerunt. Qui agebantur ad patibulum a de-  
spera.

speratione venia ad penitentiam adducti. Vexati a  
 demone, sacri agni gestatione liberati: addictus  
 Magicis artibus resipuit. Septem octone a fenebri  
 lucro deterriti. Carnifex publicus rationem qua-  
 situs cum vitæ emendatione mutavit: muliercula  
 multæ placendi studium ab hominibus ad Deum  
 contulerunt: discipulorum fructus non contemnen-  
 dus: eorum maior, qui Mariam Virginem patronam  
 habent. Sex eo de numero Societatem complexi: in  
 pluribus alijs reiectis, quo spes longior, eo cura fla-  
 grantior. Sed interuenit his laboribus commune illud  
 hoc anno toti fere Poloniae malum, pestilentia: du-  
 plici aditu in regnum irrupit, per Valachiam in  
 Russiam, & Poloniam minorem: per Gedanum in  
 Prussiam, Masouiam, maioremque Poloniam: &  
 Calissiensis quoque ciuitas, quæ ignara hætenus ta-  
 lis calamitatis, non fuit intacta. Septembre extremo  
 lues irrepfit: igitur, quod fieri amat in tali trepida-  
 tione, scholæ conticuerunt, & primores ciuium in  
 tutiora dilapsi. Collegij interea moderatores cura  
 Nostrorum incolumitatis, & proximorum salutis  
 versabat: data est omnibus optio cedendi pro arbi-  
 tratu, aut manendi: ea fuit singulorum pietas, &  
 virtus, vt oblata occasione multis opem ferendi,  
 postposuerint tutæ fugæ periculosam commoratio-  
 nem: medium consilium captum. Sacerdos cum ma-  
 gistris duobus, & tyronibus quinque in vicino præ-  
 dio sepositi, Rector cum reliquis ad tres hebdoma-  
 das in Collegio mansit: hoc tempore, expiati fere  
 omnes in nostro templo, qui in ciuitate superabant:

auerruncanda caelestis ira, publicæ supplicationes,  
 quas multi nudis pedibus obierunt, indictæ: cum  
 glisceret in dies magis contagio, alijs dimissis: sex  
 (e quibus sacerdotes duo) Collegio, & Ciuitati re-  
 licti non minore vsu egrotorum, quam morientium  
 fructu fuisse: nec caruit admiratione in media flamma  
 neminem afflatum fuisse. Non omiserim in hoc di-  
 gressu duo oppida lustrata cum magno commodo  
 vtriusque. Plezenia oppidum hæretico domino pa-  
 ret, & per viginti iam annos eiusdem sectæ Ministro:  
 Catholici, si qui sunt oppidani, Catholicum templum  
 vicini pagi frequentant: huc se contulerant Catho-  
 lici plures pestis vitandæ: a queis vocatus sacer-  
 dos sub ferias natalitias, triduo concionem habuit,  
 plurimorum confessiones excepit. Alterum oppidum  
 Poniecum: in quod similiter hæreticus dominus hæ-  
 reticum ministrum introduxit, vix edicula lignea  
 Catholicorum sacris exclusa: hic quia longior com-  
 moratio, nempe bimestris, amplior etiam fructus:  
 eius oppidi Curio, Catholicus quidē erat, sed per flagi-  
 tia infamis, eum tamen non ferebant modo, sed etiā,  
 respectu sacerdotij, venerabantur oppidani in reli-  
 gione constantes: cum hoc agere interim Noster, vt  
 rectiorem iniret viam: negligebat is, aut differebat,  
 peccandi consuetudine: diuinam vindictam minari  
 ille, nec sane tardam: ita res cecidit: cum pridie be-  
 ne valuisset, post tridie mane repertus est in pauimen-  
 to, suo volutatus in sanguine, quem abunde euomu-  
 erat, spiritu labente impos mentis: post paulo decef-  
 sit. Eluerunt confessione maculas centum quadra-  
 ginta



ginta vnus: & quantum poterant vel a pueritia recordari, tringintatres. Duo ad Ecclesiam reducti. Ceterum hic sacerdos eo in itinere quadraginta soluit peccatorum nexu, ex his duos, totius vitæ: virum item nobilem & senatorij ordinis, ab obstinata hæresi multorum annorum, magna bonorum gratulatione, conuertit.

### COLLEGIVM NIESVISIENSE.

**N**IESVISIENSIS Parochus vir maturus, & grauis post biennij experimenta Societati nomen dedit. Schisma deseruere amplius triginta: varias hæreses fere duodecim: multi, quorum in dubio erat animus, ad veram religionem impulsis: ex his tenebris qui emerferunt, ita sunt ignari Christianorum elementorum, vt more puerorum sint edocendi. Extra horum confessiones, generales exceptæ quadraginta. Illustrissimus Cardinalis Raduillus cum cetera diœcesi Nienisium quoque lustrauit. Salutatus honorifice a discipulis in absoluta parte Collegij. Ceterum in recognitione templi, quod nunc quidem est Nostris cum Parocho commune, que erant Parochi, pro sui ratione officij, cum diligenter explorasset, rerum nostrarum inspectui pepercit. Inciderat in iubileum a Pontifice concessum, compluribus Eucharistiæ & Confirmationis Sacramentum impertijt, in eaque lustratione persuasit. Sacerdotibus multis, vt se Patris Nostris exercitijs perpoliendos darent. Fundatoris nostri liberalitatis idem tenor,

nor, qui annis superioribus: vasa aliquot argentea inducto auro, ad sacros vsus donauit, oblataque pecunia promouit Collegij adificationem. Nos eo magis in proximorum salutem intenti: assidemus morientibus, opem ferimus desperatis, & afflictis. Ex hoc genere vnus, cum insimulatus furti, & post acerbam quaestionem, e carcere semustulatis pedibus emissus, mox veluti truncus sub dio iaceret in via, vnus e Nostris opera receptus primum a matrona honesta, refortusque corpore, & animi postmodum expiatis sordibus, excessit e vita. In publicam custodiam dum aditur, adolescenti, placatis aduersarijs, mors remissa: confirmati multi ad Christiane fortiterque moriendum: vnus cum duceretur ad supplicium, duorum interkursu in se crimen auerentium, liberatus. Prouisum praeterea per Nostros, vt qui suspendio sunt enecandi, non se ipsi precipitent e furca, sed expectent carnificis impulsum. Qua in re permultis in locis persaepe peccatur.

### DERPATENSE COLLEGIVM.

**P**ROPTER aquarum intemperiem laboratum est frugum inopia: & si quid erat, bellum inter duos dominos excitatum, absumpsit: sed eo maior copia fructuum spiritualium. Amisimus Patrem Ioannem Fornerium, magna, cum apud Nostros, tum apud externos, existimatione sanctitatis: sexdecim annos posuit in Societate in multorum itinere laborumque patientia: vel fessa aetate, quae  
 leuatio.

leuationem aliquam postularet, addiscendæ Liuoni-  
 cæ linguæ, quo pluribus ferret opem ( & iam hoc ei  
 procedebat ) cupidissimus. Hic primus de Nostros  
 in Liuonia sepultus est. Nostrorum labor primum  
 in scholis cernitur, quæ, & siluerunt nonnihil in  
 hoc strepitu armorum, nunc tamen redierunt cum  
 pace florentes: mittuntur etiam ab hæreticis filij,  
 nec se grauate laturos ferunt, si Catholici euadant,  
 dum apud Nostros litteris erudiantur. auxerunt  
 opinionem varij dialogi tempestiue exhibiti: vnus  
 elegantissimus in pompa Corporis Christi: eodemque  
 die, de illius dicta nomine, ad exemplar Vilnensis,  
 Congregatio instituta. ornati a Rhetoribus parietes  
 templi multiplici carmine. Eorum virtus qui edu-  
 cantur in Seminario, cum atate capit incrementa:  
 ex ijs præfecti aliquot ecclesijs, quæ vacabant. Cete-  
 rum, etsi pietas plerumque refrigescit, ardente bel-  
 lo, sunt tamen intra, extraque urbem in excursio-  
 nibus: e Polonis Germanis, Hestonibus, omnium  
 erratorum in vita confessiones auditæ quadraginta.  
 Exercitationibus informati quinque. Eucharistiam  
 perceperunt domi nostræ mille quingenti: foris se-  
 p ingenti quinquaginta. Hæsesim agnouerunt Ger-  
 mani decem, Poloni viginti quatuor, schisma se-  
 ptuaginta. Matrimonia non legitima siue direm-  
 pta, siue instaurata, sex circiter & triginta: e pœna  
 capitali quattuor erepti: adiuti alij dum ea afficiun-  
 tur. Trina quotidie beatæ Virginis salutatio in arci-  
 bus quibusdam introducta. Dissensiones sopitæ,  
 etiam inter Ecclesiasticos, & Toparchas, alioqui  
 in

in multorum perniciem exarsura. Conciones habitæ in templo uostro tribus linguis, & Hestonica, plerumque ter millibus audientibus, magno plausu, maiore fructu: templum item nostri prædij frequentatur ab hominibus prope quingentis. Has ob res, & adiuuamur vicissim in sacro instrumento: & duo illi viri Nobiles, qui inter se pugnabant armis, certabant erga nos beneficijs, agnoscere prædicantes pacis studium cum summa æquitate coniunctum. Ab vnus uxore, licet non Catholici, ornatum templum: alter vicini agri partem prædio nostro liberaliter dedit: nec magis templi quam Collegij ædificatio processit. Scholarum ruina resarcitæ. adiuuat studiorum operumque progressionem Serenissimi regis Sigismundi tertij humanitas: is cum litteras Stephani, cuius beata memoria, de stata pecunia Collegio ædificando firmasset, addidit voces erga nostrum ordinem amoris honorisque plenissimas.

## COLLEGIVM RIGENSE.

**D**E NOSTRORVM Riga discessu sces-  
suque in proximam arcem, scriptum anno superiore. Igitur in hac relegatione, quiescentibus scholis, frequenter excursum. Quadam in arce ædificata a Stephano rege causa præsidij (Blotcausum appellant) opera egregie collocata. Confluunt Lothau, vel ex centum milliaribus, vt a Nostris imbuantur: iamque illis bina templa in nostris prædijs extrui cæpta: multi inter se pacati: mulier Scythijs magno

conuentu nobilium baptizata in sacello arcis. Qui-  
dam e numero opificum cum imaginibus vexaretur  
horrificis, vt pati non posset solitudinem, Nostro-  
rum suafu remedium a sacra confessione, caelestique  
agno quaesuit. Mulier, quæ multis annis, veneficijs,  
vt credebatur, illigata, fetus emortuos edebat, cum  
per multa miliaria ad templum perrexisset, vbi No-  
stri concionabantur, & accepisset salem benedictum  
adhibendum ad opsonia, viuos partus enixa est. Par  
coniugum per sexennium fuerat in perpetuo iurgio,  
non leui coniectura artis maleficæ: sacrarum vi pre-  
cationum sacerdos restituit amorem, quem depule-  
rant incantamenta. Alij etiam coniuges duo, nullo  
antea mentis vitio, cum semel adissent ad Luthera-  
norum cænam repente stolidi effecti (& deuotioni-  
bus id quoque accidisse dicebatur) eadem ratione  
sanati. Itur ad egrotos, itinere licet multorum mil-  
lium: acceptum id vulgo, quod Lutherani segniores  
abnuunt iter, nisi munere aliquo commoueantur: hac  
ratione non nemo a dæmonis iugo extractus. Vnus e  
Sacerdotibus, etate iam ingrauescente, Lothauicam  
linguam ita addidicit, vt concionari, & aures præbe-  
re consentibus posset. Obiit dominicis festisque die-  
bus sex ecclesias, in orbem, diuini pabulum verbi, &  
Sacramenta administrās: ita opus factō, ne in vacuam  
possessionem Lutherani irrumpant: dum Parochi,  
quorum magna inopia ab Episcopo destinantur: in-  
terea, in his excursionibus, ad viginti millia passuum  
rudes Catechismum docentur, segnes ad pietatem  
inflammantur, consentes de peccatis absoluuntur:  
reperiti

reperit nonnulli homines exacta iam aetate, sic Fidei  
 seruantes, ut qui per viginti triginta ve annos a Lu-  
 theranis longissime refugerunt, vbi audierunt de  
 Nostrorum aduentu, ad antiquos sacrorum ritus,  
 & Sacramentorum, accedere letentur. accurrunt  
 interim multi cum munusculis ( quae non accipiun-  
 tur ) orantes fieri sacrum votiuum Decipara, mala  
 pecori, alijsque rebus auertendo: eumque morem  
 fuisse, quamdiu apud ipsos erant monachi, patrum  
 memoria testantur. De docti haeresim e Lothauis vi-  
 ginti: e Germanis mulieres duae: ac praeterea vxor  
 vnius Praefecti militum, cum aliquot alijs. Vnus  
 denique Rigensis. Baptisma traditum Lothauorum  
 Polonorumque infantibus ceterum quadraginta vni,  
 matrimonio iuncti quadrageni bini, terni deni ex il-  
 licito contubernio in legitimum torum traducti: in  
 Paschate confessi Lothani quadringenti viginti: ex-  
 tra Pascha, diebus festis dominicis que centum octo-  
 ginta duo, Angelorum pane refecti: res ponderanda  
 difficultate magis faciendi, quam paucitate facien-  
 tium, durum hominum genus: & dominicum cor-  
 pus sumere opulentorum virorum esse arbitrantur.  
 Desertur diuinum ferculum ad agrotos, intra agrum,  
 qui ad arcem pertinet, prosequentijs militibus  
 praesidiarijs, magna reuerentia. Sub finem Ianuarij  
 virgo Rigensis Caenobij antistita, quam supra scri-  
 psimus centesimum annum egressam, desiderio Sa-  
 cramentorum, & merore Nostrorum exilij, mor-  
 tua est, nec nisi sacro instructa viatico, oleo que  
 iuncta: sextum mensem caruit sepultura, iuxta illi

more Catholico persolui ciuitate prohibente. tam ob causam missus a rege vnus : nihilo magis obtemperatum : clanculum humari oportuit. Ceterum, Nostri cœnobio illi, quæ sunt ad corpus necessaria, omnia subministrant : quæ ad animum, occulte, nec sine periculo. Approbavit Sigismundus Nostorum in arce commorationem, mandauitque Præfeto, vt commodius diuersorium daret.

### M I S S I O V O L I N I E N S I S.

**E** I A R O S L A V I E N S I Collegio Volinensis missio instituta. in qua fere per annum versatus est Sacerdos, cum Laico, apud Bernardum Maccieioschium fundatorem Collegij Lublinensis, nunc Episcopum Luceoriensem. Voluit enim optimi vir animi, maximique consilij, lustraturus primo diœcesim aliquem de Nostris habere: & fuit pretium eundi. id fuit admirabile: quod Luceoria vbi princeps Ecclesia, & Volinæ caput, ciues habet Rutheno Græcoque schismate infectos: Armenis deinde abundat Iudæisque, non sine Synagogis: vt in magna vrbe Catholicorum domus vix septem supra centum numerentur: sed & Vlatica Ruthenorum antistes suam in arce Cerquam (ita illi suam vocant pseudoecclesiam) habet. magna eius auctoritas principibus viris innixa. indignum porro erat in maiore hebdomada Catholicorum campanas filere, aliorum circum omnia strepere: solum enim sonorem campanarum Popi crepant. numerus tamen  
confes-

confessionum exceptarum a Sacerdote hac ratione  
 subducitur. Luceoria in Quadragesima centum no-  
 naginta octo. Post Paschales ferias Torcini centum  
 quinquaginta: Olicæ triginta quinque: Brestæ cen-  
 tum tredecim: Ianouia quinquaginta octo. obita  
 cum Episcopo hæc omnia oppida: exculique Sacer-  
 dotes iam facti, & præculi faciendi: Quodam in  
 oppido, integerrimus antistes, sedulo quasiuit de  
 us, qui non communicassent ad Pascha: qui cum Ru-  
 thenis matrimonio copularentur: qui iniustas nu-  
 ptias fecissent: qui pellices haberent: omnia, secre-  
 tis schismaticis, ad Catholicum ritum direxit. ad  
 Ecclesiam rediere nouem, plures in Fide firmati:  
 Disputatum cum Popo, eiusque inscitia conuicta.  
 Brestæ (oppidum est regium frequens & nobile hæ-  
 reticis scatens) data est opera, vt Clerici mensa  
 communi vterentur, in rem famamque multorum.  
 e suggestu hæreses confutata: factumque, vt consti-  
 tutis Catholicis hæretici vacillent: & iam eorum  
 aliquot visi in templo sacrosanctam Eucharistiam  
 venerantes: iudex quidam Brestensis, Ruthenis li-  
 cet addictus, cum in supplicatione præferretur di-  
 uinum mysterium, vsque ad finem venerabundus  
 voluit interesse: is fluctuatur animi, vt vehemen-  
 ter sit locutus cum Episcopo de Ruthenorum reli-  
 gione cum Romana conglutinanda: eo præsertim tem-  
 pore, quo Patriarcha Byzantius ad Synodum in  
 Polonia cum suis Vladicis Vilnæ celebrandam adfu-  
 turus dicebatur. Illustres etiam viri, Palatinus  
 Brestensis, & Præfectus arcis, quamquam hære-



tici, ex Episcopi ipsius Nostrorumque consuetudine, iam melius de Catholicis sentire cœperunt. eodem loci puellæ duæ ex parvitate anabaptista iam grandiores natu lustrali aqua tinctæ. De reliquis Polonia domicilijs, quia nihil accepimus, nihil reddimus.

A V S T R I A  
P R O V I N C I A.



**H**ABET AVSTRIA iam Collegia quinque: Viennense, Pragensse, Olomucense, Gracense, & quod hoc anno additum, Crumlouiese, Domum vnam Brunæ, Probationis. Missiones fuerunt diuturniores quattuor. Vratislaviensis, Furstenfeldensis, & in Vngaria Varalliensis, & Scelliensis. In his locis omnibus ducenti quadragintanovem socij numerantur. Quattuor supremum diem explerere. In Societatem ingressi quinquaginta octo.

V I E N N E N S E C O L L E G I V M.

**V**IENNÆ vbi sunt socij sexaginta, admissi octo. Obdormiuit in Domino Pater Ioannes Merquicius, qui huc venerat e Gracio: ceterorum integra fuit valetudo. ad Catholicos redire

diere tredecim supra ducentos: atque, ex eorum numero, quinque hæreticorum faces: alius, cuius nomen in duabus Academijs percelebre, neque parum in Liouonia Catholicis obfuerat. Duo erant adollescentes, vt pari inter se beneuolentia, ita religione diuersa: hic Catholicus, ille hæreticus. Vterque alterum in suas partes trahere cupiebat: et si Catholicus felicior fuit. Id, quia admirabile quiddam habuit, breuiter repetendum videtur. Ducebatur hic sepe ad infensissimum Catholicis nebulonem Caluiniſtam: cum eius interea fides nulla nutaret ex parte: & iam aliqua cum illo consuetudo: ægrotat buccinator exigua spe valetudinis: ad eum cum amico Catholicus: cum sermonibus tempus, vt fit, tere-retur, multa que in vtramque partem de religione differerentur, ad Caluiniſtam Catholicus: Per tuam, inquit, salutem perque iustissimum illud tribunal, ad quod sistemur omnes rationem reddituri, te oro ob-testor que, vt integro animo ac libero aperias, in vtra religione censeas præstare mori. Hic ille ter-giuersatus primo, & professus inscientiam suam, cum rursus vrgeretur. Bene, ait, tecum agitur adollescens, qui audis Catholicos: a quorum præcep-tis, si cara est tibi animæ salus, noli discedere. ad-mirantibus cunctis, qui hæc accipiebant. Quintu, excipit Catholicus, in isto articulo, ac discrimine vl-timo, rapis consilium, quod das alteri, & amplecte-ris religionem, quam veram esse confiteris? Sed quis mortalium reducat hominem in viam, quem Deus, vt sunt incomprehensa eius iudicia, despexerit? Cla-

more enim ingenti, ac terribili eiulatu. De me iam conclamatum est: clausa est ianua. Hæc ille moriens efflauit. Perculit ea res omnes vehementer, præcipue filium, qui patris perfidiam execratus, veram fidem aspexit: illumque alterum, de quo dicebamus, adolescentem: is enim amico Catholico, qui hanc confessionem expresserat, manus dedit. Gallus quidam nobilis, sed hæreseos veneno olim infectus, militiam exercuerat diu contra Catholicos, quorum multis gloriabatur euersis bello templis, ac fœde incensis: magnis excitatus præmijs in Germaniam se contulerat: cum autem vnius e Nostris familiaritate delectaretur, paulatim eo perductus est, vt oblatiis libris magistris mendacij, veritatem agnosceret: & nunc ex ea mutatione vitæ tantam percipit animo voluptatam, vt cogitet de relinquenda militia, quo inter Catholicos solutiore animo versetur. Mulieris vnius Catholicæ memoranda patientia. Erat perquam diu cum viro hæretico, tres liberos enixa, duos virilis sexus, tertiam feminam: illi superstitionem patris sequebantur. Pessime accipiebatur a marito vxor, odio religionis: quæ cum postea incidisset in morbum, atque indubitatam mortem sentiret, agre a viro extorsit, vt percepta sacrosancta Eucharistia Catholice morderetur. post eius obitum filia in cœnobium virginum ingressa decessit. Filij superstites, matris sororisque religionem complexi, ipsi quoque moriuntur. Et tandem pater siue orbitatis malo, siue tam multorum vi exemplorum commotus, aperuit oculos, & per suorum vestigia, qui  
 præ

præcesserant, ad Christianæ pulchritudinis lumen  
 emerſit. Datum id credam mortuæ uxoris preci-  
 bus, & in recta fide, quod dederat viuens, docu-  
 mento perſeuerantiæ. Medicus vnus cum hæreſim  
 eieciffet, eo ſtatim flagrare cœpit deſiderio animas  
 curandi, vt vndecim ſecum adduxerit, & nunc etiã  
 in eodem opere cum magna laude verſetur. Alius  
 Græcarum litterarum Latinarumque percallens, in  
 Mathematicis plane perfectus, poſt varios errores  
 hæreſum ad veræ ſalutis viam perductus eſt. Huic  
 a primis annis, incertum ridenda magis, an miſeranda,  
 inſederat opinio, Ieſuitas non ex hominibus, vt  
 ceteros, ſed e monſtroſo quodam demonum genere  
 eſſe procreatos. Sacra apud nos obeuntium myſte-  
 ria, cum toto anno, tum maxime diebus feſtis, tan-  
 tus eſt numerus, vt obruant audientes. Ferijs Pa-  
 ſchalibus, confeſſiones ter mille quingentæ quin-  
 quaginta tres, & earum plurimæ, vel omnium, vel  
 multorum annorum, exceptæ. Communicarunt bis  
 mille quingenti. Turbidi quidam homo ingenij, cum  
 a rixa & contentione calens diſceſſiſſet, repente  
 tanta demonum multitudine, ſub terribili ferarum  
 monſtrorumque ſpecie, circumuentus eſt, vt per to-  
 tos dies quinque nullam inueniret, nec animo, nec cor-  
 pore quietem: non cibum capere, niſi vi ingeſtum  
 ori, non ſomnum poterat, non pedibus inſiſtere.  
 Exprimit ſignum Crucis, fundit ad Deum preces,  
 nihil propterea melius. concipit tandem votum con-  
 feſſionis faciendæ. tum vero, intempeſta nocte, ſub-  
 limis rapitur, & in vaſta ſolitudine, ſeptem mil-

lium spatio, eijcitur ante piscinam ingentem. non  
 deijcit ille animum, victaque corporis imbecillita-  
 te, Viennam ad nos contendit, votoque exoluto,  
 terriculis omnibus liberatur. Nostrorum exorcis-  
 mo, a muliere vna demonium expulsus. alteri fa-  
 natica mens reddita, haustu aquæ lustralis. Res  
 scholastica efflorescit: studiosi octingenti: quos cum  
 fere instructos vidisset Aldobrandinus Cardinalis in  
 Poloniam Legatus proficiscens, latatus est cum com-  
 mendatione mirifica illius iuuentutis. Tragicoco-  
 mædia, frequentissimo populo spectante, & appro-  
 bātibus Serenissimis Austriæ Principibus, data. Vti-  
 mur nunc Vienna proceribus muxime beneuolis:  
 Eorum auctoritate, si qua in nos caduntur menda-  
 cia e maleuolorum officina, euanescent. Martinus  
 Neostadiensis designatus Episcopus, vir nostri ordi-  
 nis amantissimus, adiecerat animum ad extruendum  
 Neostadij Collegium: huius consulti effectum mors  
 turbauit. moriens ille mille aureos nobis reliquit,  
 monumentum amoris. Vsus in valetudine, & in  
 morte vnius opera e Nostris, a quo etiam funebri  
 oratione laudatus. Simili beneficentia alius, in bi-  
 bliotheca vsus florenos contulit sexcentos. Donata  
 etiam sacra vestis, materia pariter & arte insignis.  
 piorum liberalitate templi splendor intus forisque  
 auctus: vt quocumque conuertas oculos, sacra se  
 offerant signa, incitamenta pietatis. Apud Sanctum  
 Bernardum (vicum esse reor Collegio vestigalem)  
 in proximorum salute non est inutiliter laboratum.  
 Septem a communionem sub vtraque specie retracti,  
 adii

aditi egrotantes auditique, sacro communiti viatico, extremo denique oleo delibuti. mira omnia, eo in loco, vbi fere omnium contaminatis animis, ne tenues quidem reliquiae pristini moris hærebant.

## COLLEGIVM PRAGENSE.

CONSVETÆ domi forisque conciones habitæ tribus linguis, Boemica, Germanica, Italica. iisdem linguis doctrina Christiana tradita, dominicis diebus, quæ, Italis præsertim, magno emolumento fuit: curatum proinde, piorum sumptibus, vt de Confessione libellus, Italico idiomate excuderetur. Ad Catholicam fidem, in hac vrbe, sexaginta quattuor: ad communionem, quindecim conuersi. Ex socijs triginta quinque, quibus Collegium constat, cum Sacerdos vnus, labente iam spiritu, extremis instructus Ecclesiæ Sacramentis, nihil aliud expectaret, nisi mortem: vbi sacrum hausit liquorem, qui manat e corpore Sancti Nicolai, cepit conualescere. eademque medicina fuit medico vni, & alijs nonnullis egrotis, desperata valetudine. Perlongum multi ad nos suscipiunt iter, dominorum negligentes offensam, contemnentem propositam pœnam carceris, vt peccata fateantur. Fenebris pecunia restituta a compluribus, & ab vno quidem floreni sexcenti. Supremus regni præfectus Crupcense Monasterium Collegio donauit: pro cuius conseruatione, Cæsarea Maiestas hoc anno, taleros centum. Igitur in eo Monasterio per Quadragesi-

gesimam Sacerdos cum fratre mansit, vt Catholicorum excitaret reliquias: nec sine fructu. Etenim ipso die Angelicæ salutationis, qui concioni interessent, ducenti, qui ad Eucharistiæ sacramentum accederent, quadraginta numerati. Crupca autem oppidum est, Misniæ Boemique confine scatens hæreticis: magnæ hic, Nostrorum commoratio, Catholicis voluptati fuit. Est in eo oppido, ædes Deiparæ Virginis: ad quam melioribus olim temporibus trinis Paschæ ferijs, & Pentecostes, ipsoque sanctissimæ Virginis natali die sollempnis erat peregrinatio: eius nunc memoria abolita, vt renouaretur, placitum Nostris eo excurrere: hoc fructu. conciones habitæ Germanica, Boemicaque: qui confessione expiarint peccata, auditi centeni ducentique: ex illorum maxime ordine hominum, qui cum hæreticis Curionibus vti cogantur, nullo nec carceris, nec supplicij metu, se a Catholica fide abstrahi patiuntur. Et horum quidem ea est constantia, vt antequam se aperiant, interrogent Sacerdotem, sub vna, an bina specie communionem tradat: nolunt videlicet falli ab impostoribus. Nec vero vicini tantum huc confluent, sed qui absunt etiam decem duodecimve miliaribus, sub vexillo. ornarunt hanc piam peregrinationem primores regni, ac præter ceteros, Nuntius Pontificius, qui & summum in Monasterij templo altare consecrauit, exceptus perbenigne a Crupcensibus Senatoribus, xenijsque honoratus, Lutherum licet sequerentur. Ceterum in veteri templo nostro Sancti Clementis, aliquorum liberalitate,

in nouoque Sancti Saluatoris, vnius Parochi beneficio, altare nouum erectum: nec minorem nobilium beneficentiam, Domus pauperum, in qua centum & triginta bonæ spei iuuenes aluntur, experta. His cum Ianuario mense epulum datur, impensa cuiusdam mercatoris, inuitatus est Nuntius Apostolicus, & cum eo Consul Legatusque ciuitatis Coloniensis: quibus adeo placuit ea disciplina, vt dicerent se vbi Coloniã rediissent, de simili instituenda Domo relaturos. Et quamquam ab inuidis interdum, vt assolet, in Nostros sparsi rumusculi, tum apud Casarem, tum apud alios etiam, qui illos comprimerent, viri magnæ auctoritatis non defuerunt.

## COLLEGIVM OLOMV CENSE.

**R**EBVS HVMANIS ereptus Pater Ioannes Aschermannus, admirabili vir animi demissione, & patientia: qui cum in Polonia Prouincia fundanda, Austriaque iuuanda, multis annis laborasset, magno relicto sui desiderio, hic in patria, tam sancte mortem obiit, vt cum finis instaret, beate Virginis, quam veneratus est insigni semper obseruantia, hymnum, *Aue maris stella*, maxima omnium admiratione lætissime decantaret. Ex quatuor adolescentibus, qui successerunt in demortui locum, vni votiua Societas reddidit vitam, quam atrox valetudo perditum ibat. Conciones ternis diebus festis, in præcipuis Parœcijs ciuitatis, Germanica lingua habentur: ad has accedit explicatio



Catechisni, & concio Boemica, quæ hoc anno in templo nostro instaurata. Fructum ex his experimur non exiguum, præsertim in hæreticis, qui audiunt frequentes. Pauperum, qui in xenodochio decumbunt, necessitati subuentum a Nostris, nihil veritis loci graueolentiam: tanta prorsus sui victoria, vt hæretici, qui omnia cauillantur, hoc ipsum non admirari non possint. Omnes qui extremo supplicio dederunt scelerum pœnas, Catholice & pie, inter cohortationes Nostrorum, vita defuncti. Quibus diebus resurgenti Christi memoria recolitur, tria millia confitentium numerata: etsi Boemicorum inopia Sacerdotum, plures inauditi. Inter illos, centum deseruere hæresim: totidem in Fide firmati: multi viri mulieresque ab impuritate vitæ, quattuor a desperatione traducti. Ciuum aliquot familiae, & coniugum paria, inter se grauiter dissidentium concordata. A feneratione pecuniam, quæ res hic non criminis loco, sed beneficij habetur, abstulerunt nonnulli. argumento est, quod opulentus ciuis grandem summam magistratui reddidit, admirantibus Senatoribus hæreticis Catholicisque: hoc magis, quod magnum præterea æs, sine vlla vsurpatione fructus, iisdem poscentibus libentissime mutuauit. Die festo Sanctæ Annæ, cuius hic ciuium Catholicorum nobilis Congregatio, magna fuit vis confitentium: cum alias, qui hoc facerent eo die, pauci, aut fere nulli reperirentur. Olomucensis antistes paternum in nos animum gerit: eiusque dignitate, quæ magna est, & a Casare nuper aucta, optimates adducti mul-

ti, nobis licet dissimiles in Fide, suam erga nos benevolentiam liberaliter declarant. Sed ad omnem civitatem egregie iuuandam aperuisset nobis aditum Bernardus Brüdalschius prisca nobilitatis Dynasta, multigena eruditione, & virtute insignis, si ei diutius viuere licuisset. Addixerat hic tum omnes facultates, quæ satis amplæ, tum seipsum, Societati: iamque a Reuerendo Patre Generali facta ei potestas Romam eundi. Sed mors iter oppressit: qua statim consecuta, eius amici prætendentes bonorum stabilium alienationem a familia, Prouinciæ legibus interdictam, certam pecuniæ summam nobis asperserunt, qua suburbanum prædium vtile satis & commodum Collegio coemptum. Eodem fere tempore hortus Collegio proximus, in quem, vt caducum, inuaserat ciuitas religione labante, diu licet repugnantibus hæreticis, Casaris decreto, nobis restitutus. Iuuentus scholastica, etsi armorum tempore aliquantulum imminuta, ita frequens fuit, & clara, vt Nostros non pæniteat. Ex ea nonnulli, approbantibus mirifice Theologiæ doctoribus, magisterio decorati. Abbas quidam Nostrorum per studiosus, nouo exemplo, aliquot Cænobij sui nouitios, etsi præceptorem domi habent, in Collegium mittit, vt a Nostris instruantur.

### GRAECENSE COLLEGIUM.

**M**ULTAE, & graues dissensiones a Nostris compositæ. Viri duo primarij, qui ita paribus

ribus ardebant odijs, vt alter alterius aspectum tolerare non posset, adhitente vno e Nostros, in mutuos venerunt amplexus. Nuptiæ, quæ nutabant, constabilitæ: reuocati ad Ecclesiam non pauci: atque, inter hos aliqui, quibus propter auctoritatem eruditionemque non vulgarem, rem Catholicam adiutum iri speramus. Nobilis quidam iuuenis, cum ad partes se conferret recta sentientium, nec suorum rogatu, nec suasu ministri, potuit a suscepto proposito demoueri: hinc spes non parua affulsit, dissolutum iri perniciousam coniunctionem, conspirantis Nobilitatis contra veteres Ecclesiæ ritus. Hæresim dedocti multi, quam didicerant ab infantia. Mille sexcenti triginta, sub Paschalia, apud Nostros confessi: quod in ea ciuitate admirabilius, in qua aduersarij adhuc suas scholas habent, & templum: quo cum maxima confluit vis ciuium, tum huius provincie proceres bene multi. Nobilis quidam morti proximus: sepulturam in nostro templo petebat, eius sibi iure a maioribus relicto (hunc hæreseos suspicio perstrinxerat) ne post eius mortem res esset in discrimine, significatum est ei, id non aliter euenturum, nisi abstineret a calice. hic ei metus iniectus, auctor extremi officij fuit. Alter, cui malus dæmon adeo erat familiaris, vt eius vocem nudam corporis audiret sæpissime, quod illi erat permolestum: cum hortatu Sacerdotis, loquenti non daret aures, nec redderet responsum, ea tandem vexatione liberatus. Curatum præterea, magnam partem Nostros laborantibus, vt diuersis in oppidis magistratus Catholici

lici hæreticis subrogentur. Et in hac quidem civitate, Senatorum pars, qui Catholicam amplectuntur religionem, est altero tanto maior, quam qui superstitionem hæreticam: cum triennio ante e Senatoribus ne vnus quidem hæreticus non esset.

### CRUMLOVIENSE COLLEGIVM.

**H**OC TANDEM anno, Maio mense, missio Crumlouiensis in Collegium vertit: hac serie. Illustrissimus Rosensis fundator noster, Bariensem antistitem, qui apud Casarem agebat Nuntium Pontificis: Præsules deinde multos, Dynastas & optimates complures Crumlouiam acciuit, vbi erat etiam Præpositus noster Prouincialis. Igitur postridie iduum, cum hi omnes conuenissent, Fundatoris Cancellarius, eius nomine, orationem Latinam habuit perelegantem: tum Fundator litteras, quibus fiebat Collegij potestas, clavesque ipsius tradidit Patri Prouinciali: qui cum deinde, vt par erat, magno eius studio promouendæ religionis Catholicæ ageret grates, ac Societatis operam vicissim sponderet, pauca quidem verba fecit, sed ea quo minus artis præse tulerunt, hoc plus habuerunt auctoritatis. Conclussit sermonem Fundator humanissimus, libentique animo, ac prolixo, recepit se plura multo, ac maiora in hoc genere, quam adhuc præstitit, in dies præstiturum. Post hæc itum in templum, vbi cum Apostolicus Nuntius sacrum fecisset, Pater Prouincialis, candelam, foundationis titulum rite atque ordine

dine dedit. Tum excepti omnes a Fundatore epulis exquisitissimis: dataque tragœdia ab adolescentibus, qui ad nos ventitant, pulcherrimo apparatu. Magna omnino eius diei species fuit. Ex hoc tempore Nostrorum numerus auctus, vt quindecim censeantur. Boemicarum Germanicarumque concionum idem fructus, qui alijs annis. Præsidis inuitatu in vicinum oppidum Sacerdos excurrit, populumque Lutheranum, qui nullis domini minis flecti ad religionem poterat, paucis concionibus ita permouit, vt se tandem in heri potestate futuros pollicerentur. Pastores finitimi ad rationem pascendi gregis diligenter instructi. Victorum domus pauperumque, opem ferendo vtrisque, interdum adeuntur. Ad salutarem peccatorum expiationem, sanctamque synaxim accedentium, maxime ex occasione Iubilei, numerus, quam antea, frequentior. Qui omnem vitam retro egerunt confitendo, exceptis scholasticis quorum maxima pietas, trecenti amplius fuere. Hæretici sex: qui sub vtraque communicabant, multo plures, ad sapientiora conuersi. Cum propter aquarum intemperiem aduersa æstas esset frugibus, ex voto a quibusdam suscepto, qui & Nostros adesse voluerunt, est ad Sancti Thomæ supplicatum: statimque consecuta serenitas cali, quam nemo fuit, quin obitæ supplicationi ferret acceptam. Summo dierum aliquot cruciatu parturienti mulieri sacer Dei agnus perfacilem partum dicitur præstitisse.

## DOMVS PROBATIONIS BRVNENSIS.

**I**N BRVNENSI Probationis Domo fuerunt amplius quadraginta: omnes incolumes, praeter unum, qui cum Graeco Olomucium missus firmandae valetudinis, hac iter facit, grauescente morbo, post sesquialterum diem decessit. Inter studia propriae perfectionis, ceterorum animi sulus minime negligitur. ad Ecclesiae obsequium rediere tredecim. Haereticorum libri ablati permultis: ut ab usu Calicis abstineant, persuasum hominibus duobus & viginti. In Christi ferijs existentis ab inferis confessi, ac plerique omnes repetita vita uniuersa, nongenti viginti septem. Qui agebantur ad supplicium, Nostrorum adiuti ope, Christiane mortui: & eorum quidam inter suprema cruciamenta adeo fortiter, ut admirationi essent. Haec inter, quae speciem habuere miraculi, euenerunt nonnulla. Quidam in inimicum ardebat, odio: ita implacabili, ut se traheret aures sermonibus, qui de reconciliatione haberentur. Hunc conuertit vnus e Nostris. Orat ut quandoquidem aures habet obstructas, oculos tamen sibi clausos esse ne patiat: in templum nostrum concedat, dum defixo obtutu in beatae Virginis imaginem, eam adprecetur: dictu mirabile, sed verum. Perculit is visus repente hominem, ut exclamarit. Do veniam libens, obliuiscor iniuriae. Condona tu mihi Deus, condona peccata mea: quae etiam statim adhibita confessione sacraque communi-  
one expiavit. Vir quidam genere nobilior quam

fide, vxoris instinctu, Valdensem sectam ingressus, e templo, quod habebat, Sanctorum eiecit simula-  
 cra, illa præfatione vsus, quod videndi, audiendi, loquendique sensu carerent. non diu dilata numinis  
 vltio. Qui videre noluit in æde mutas, vt dicebat, surdasque imagines, in ædibus mutos, surdosque li-  
 beros, quos identidem ei pariebat vxor, perferre co-  
 gebatur: res erat in ore multorum. Miser parens  
 venienti ad eum vni e Nostris infelicem sobolem o-  
 stendit: querit noster, qua ratione miserandæ animæ  
 adduci possent ad Fidem. Ostensa, inquit ille, Cruci-  
 fixi effigie, alijsque mysterijs, per signa, quibus  
 mentes oculorum nuntio moueantur. hac vna via  
 vtor quotidie ad meos erudiendos. Quod cum au-  
 dissest Noster, culpam homini obiecit, quam  
 luebant filij immerentes: & res ipsa, quæ apparebat,  
 de sacrarum imaginum ad rudes docendos vtilitate,  
 confessionem veritatis extorsit. Huic illud non val-  
 de absimile. Cives nonnulli a Catholicorum ritibus  
 abhorrentes, prætextu ad nudinas necessaria pro-  
 fectionis, relinquunt supplicem pompam, qua Do-  
 minicum corpus per urbem circumfertur. Currum  
 conscendunt: vix ab vrbe processerant mille passi-  
 bus: non leui cum damno vectorum, vehiculum in-  
 uertitur. Luxatur vni brachium, alteri penitus con-  
 fringitur: hic oculum amissum queritur, crumenam  
 ille cum tureis quadringentis, quæ numquã inuenta:  
 ita omnes, animis corporibusque afflictis: repetunt  
 urbem, calamitatis fama præmissa. & negligentia di-  
 uini cultus exempta. Impurus quoque adolescens  
 grauem

grauem neglectæ religionis, & manifestam pœnam  
 dedit. Seduxerat virginem e cœnobio, cum ea ad  
 hereticos profugerat liberiore licentia. Sed non ef-  
 fugit iram Dei. Percutitur corpus morbo insanabi-  
 li, tumore primum, dein sanie odoris intolerandi: vt  
 cum ab eius attactu omnes refugerent, pessimam  
 vitam miserrima morte finierit. Infelix interea fe-  
 mina tam atrocibus conflictarur malis, vt ab ipsis  
 etiam hereticis, quorum propter similitudinem  
 morum sperabat patrocinium, non sit tantum deser-  
 ta, verum etiam expulsa. Mulier erat in nosoco-  
 mio, acerrima diaboli oppugnatione, ita oppressa,  
 vt nunc aquis vitam sibi extinguere, nunc culcro,  
 quem gnarus nocendi porrigebat in manus, eripere  
 moliretur, prohibentibus cunctis, qui erant in eo-  
 dem valetudinario: post illam triennij vexationem  
 apoplexia corripitur, obligatione linguæ loquendi  
 vsu adempto: mittitur ad Nostros, vt pro concione  
 populi preces efflagitent: & exoratum fuisse Deum,  
 solutus primus linguæ nodus, deinde animæ, post sa-  
 cram confessionem peractam, ostendit. Nocturnis  
 vnus quidam diurnisque spectris vsque adeo agita-  
 batur, vt redigeretur ad insaniam. Cum multa ex-  
 pertus esset frustra, ad nos venit inops consilij. Per-  
 suasum est homini, vt purgaret animam confes-  
 sione: datum consilium accipienti remedium fuit. Ma-  
 ter sanitatem filie duplici morbo laborantis anxie  
 querebat: quicquid adhiberet, nihil proficiebat.  
 tentanti omnia occurrit, vt consuleret Nostros: eo-  
 rum suasu piacularem aquam implorata sanctissima



Triade offert filia bauriendam : eadem nocte conu-  
luit : ad nos gratans mane accurrit , factum narrat .  
laborabat & ipsa , altero ex ijs morbis , quibus &  
filia , de quo antea reticuerat , pudore victa simili  
usa medicamine , similiter sanata est . Scholæ , ex  
quo duabus classibus tertia accessit , meliore sunt lo-  
co : auditores enim & plures , & maturiores , quam  
annis superioribus . Puer , cum vt diebus vetitis  
vesceretur carnibus : alij , vt abstinerent a salutatio-  
ne Angelica , ab infestis parentibus , nullis nec mi-  
nis , nec blanditijs cogi possent , perstantes in constan-  
tia , parentes , ille ad eandem abstinentiam , hi ve-  
ro , vt per eorum preces Mariae matri commendatos  
se esse cuperent , impulerunt . Magnam spem conce-  
pere Brunenses ex Sodalitio Parthenio ; nec temere .  
eminet in quibusdam inusitatus ardor pietatis , fla-  
gransque studium tum suæ , tum alienæ salutis . &  
iam ex eo aliqui Societatem meditantur ; quam hoc  
anno auxit Bruna socijs tredecim : e quibus vnus an-  
num agens duodeuicesimum , magnum præbuit con-  
stantiæ argumentum . Constituerat iamdiu de socie-  
tate nobiscum ineunda : nec vero parentis sermo fe-  
cit vquam , vt eum pigeret antea consilij : nec lit-  
teræ postmodum , vt facti pœniteret . Excursiones  
susceptæ , & peregrinationes , de more nostro , per-  
multæ : non paruo fructu . ad confessionem , ad iu-  
risturandi , nuninisque verbo violandi detestatio-  
nem , ad Eucharistiæ Catholico ritu perceptionem  
complures impulsæ : atque ex postremo hoc cœtu mu-  
lier centesimum tertium annum ingressa . Et quidem  
his

his temporibus spectata sepe Nostrorum, in periculis suscipiendis magnitudo animi, & in laboribus perpetiendis patientia: nihil enim frangebat Deo subnixos, & a pietate hominum non deerant interdum non modica solatia. excepti nonnumquam ab ignotis, tanto cum honore, ut modestia præstari debuerit in eo recusando.

MISSIO VRATISLAVIENSIS  
& Furstenfellenfis.

**D**VO VRATISLAVIÆ morantur Sacerdotes, cum Laicis duobus. Duæ iam in locis conciones habentur: in principe templo una, altera, hoc anno, inuitissimis hæreticis instituta, in Monasterio Sancti Vincentij, rogatu Abbatis. Igitur aduersarij vanum timorem tumultus excitare: Vbi nihil procedit, ne ad nos ventitent, cum suis agere: hoc etiam irritum fuit: nam pro templi angustijs magna frequentia, & consistentes non pauci. Exeunte verno ieiunio numerati nouem ultra centum: abiecerunt hæresim quinquagintaquattuor: quos inter, viri magna auctoritate, & generis claritudine, duo. In quadam Parocchia, hæreticorum cantus qui irrepserant, ritusque correcti. Vel a duodecim passuum millibus confessionis ergo ad nos confluunt multi, qui, inter hæreticos cum viuant, hisce præsidijs destituuntur: compressæ Nostrorum opera inimicitia nonnullæ.

IN FURSTENFELLENSI Sacer-

dos noster, cum socio, vt proxime scriptum, ciues, ab heretico audiendo, qui in propinquo pago spar-gebat zizania, deterruit: primum virum, penes quem iudicatus in hac vrbe, conuertit: sed cis paucos dies emoritur: nec abest suspicio veneni: cum enim noctu, clamoris excitati, pro officio, sedandi, in ædes quasdam perrexisset, vnde accidebat sonus, & antequam discederet, humanitatis specie, more gentis, oblatum poculum ebibisset, repente, acri velut telo confixus, male habuit, & vnum fere intra diem, sua morte, an alieno scelere, decessit. Eodem in munere ei successit alter, ductuque nostri Sacerdotis eandem inijt salutis viam: & ipse quoque, eodem quo prior Stratagemate, duobus vulneribus acceptis, vitam ægre retinuit. Ceterum, vbi noster huc venit, vix tres reperit Catholico more communicantes: Catholicos omnino paucissimos: nunc, laborando, agendo, instando, tantum profecit, Dei beneficio, vt sub Pascha trecenti trigintaduo in Paræcia sacram Eucharistiam rite perceperint. Senatores certe omnes, si vnum modo excipias, ad saniora traducti: his persuasum, vt priusquam veniant in consilium, intersint vna quotidie rei diuine: certo Sacerdoti eam ad rem pecunia decreta. Sacra pro defunctis, itemque in Aduentu Domini, in honorem Matris Virginis (Rorate appellant) quæ negligentia olim, seu contemptu aboleuerant, restituta. Et conati sunt, tum hereticus ille declamator, singulorum domos obeundo, tum alij, conuiuis plebem deleniendo, litterasque frequenter ad

Sere-

Serenissimum Principem, modo octodecim obsignatas signis, modo nouem & quadraginta (quibus ille alta dissimulatione nihil respondit) mittendo, turbare tam felicem successum. Sed res contra fuit: pertinaces enim inclusi in carcerem (etsi ij postea omnes benignitate Catholici Senatus dimissi) vel fuga sibi salutem, vel mutatione vitæ quæsierunt: hac quidem ratione, non pauci ad confessionem a Sacerdote nostro adducti. Sed & in vicinis oppidis idem laborauit. Sacerdotes officij commonuit, paganis sexcentis, quos nulla antea infregerant pœna, eam ob rem instituta concione, persuasit, vt ne in susceptione dominici corporis discedendum sibi a Catholicis putarent.

VARALLIENSIS ET SCELLIENSIS  
in Hungariam Missiones.

**D**VAE IN HUNGARIAM sequuntur missiones: ad ea opinor oppida, quæ superiore anno assignata Viennensi Collegio diximus, cum Præpositura Tyrociensi. Varallia & Scellia nominantur. Et Varallia quidem Societas, vix vlla reperit vestigia Catholicæ pietatis. Confecti quidam senectute, repetitis temporibus, quasi per somnium, narrantes audiebantur consuetudines nonnullas, antiquas, vt vocabant, religionis: incedentes nempe supplicationes per abruptos montes, & arduos: certis in locis stationes fixas: congregationem fuisse Christi corporis: sodales certis diebus sacro affuisse: singu-

lis septimanis, accensis facibus, comitari solitos venerabile ferulū, cum iret per Cameterium: eademq. carimonia, cum deferretur ad infirmos. Tantarum rerum, vix in paucis, memoria manebat. Ea nunc Nostorum opera reuocantur. Et iam senes illi iterum sibi nati videntur, cum recentia componunt cum veteribus, eaque, quæ in extrema vident aetate, cum ijs, quæ viderunt in prima, consentire recordantur. Igitur multorum fit conuersio: & quod ad rem magnopere pertinet, præcipue sacerdotum. Et latantur Catholici, fremantibus hæreticis, qui se Iesuitis impares esse profitentur. Ceterum oppidum cum tribus pagis recepit fidem: itaque Paschalibus ferijs ex horum numero mille cõfessi rite communicarunt. Vna est omnium opinio, si Societas, quod incepit, facere pergat, breui totum Comitatum ad Catholicos perducturam. Et iam, quod nostri instituti est, Scholæ avidissime expetuntur. Excurrit vnus sub Epiphantiorum festum in oppidum Toparche cuiusdam excellenti pietate, qui olim educatus inter conuictores Vienna: vxorem hic habebat sterilem, nec satis firmam in Fide, cum vesteretur cibis illicitis. Persuadet mulieri Noster, vt si liberos velit, habeat hunc saltem honorem Virgini, vt a carnibus sabbato abstineat: diuinam illi opem sub tanto patrocinio affuturam: fidei respondit euentus. Vno partu geminos marem & feminam enixa: & agnoscens diuinum beneficium vterque coniux, aureæ casulæ, calicisque donum, miro artificio, Deiparæ, quæ colitur in nostro templo ex roio dedit.

AT SCCELLIAE Nostrorum labor in eo  
 primum positus, ut Hungaricam linguam addiscerent, cuius non adeo multos peritos habemus: isque  
 ita processit, ut vel publice pro concione audientibus satisfaciant. Est autem Scelliensium populus,  
 ut deprauatior in Fide, ita correctu difficilior: ad concionem tamen cupide confluunt, & iam hereticos auersantur. Nobilis matrona, fessa iam etate,  
 cum victa precibus filij venisset ad concionem, atque incidisset in locum de veneratione Sanctorum, credidit quod audiebat, propter quod etiam de peccatis confessu est. Alteri octogenaria idem a Deo concessum: quod ei iucundum adeo fuit, ut diuinum praedicet munus, quo se in exitu vitae reuocatam ab inferorum limine profitetur. Catholicus quidam senex, quem inter ac Sacerdotem nullum erat commercium linguae, tanto studio confessionis exarsit, ut per interpretem exequeretur: reliqui, etsi dudum corroborati in haeresi (quod proximum est, ut ab ea demoueantur) vacillant. Sexaginta iam confessi. Haeticorum conciuicula e templo sublata. Doctrina Christiana traditur cum fructu: ea, si aliud quicquam, in his locis maxime necessaria. Certe, vno in pago reperti homines ita rudes, ut Crucis signum formare non uissent. Harum rerum fama in hoc regno ita percrebuit, ut vniuersa Nobilitas Collegium exoptet, ubi filij erudiantur. Niriensium quidem Comitatus, qui olim nobis ita erat insensus, ut vel Casari pernegarent tributa soluturos, nisi e regno essemus exacti, nunc, Deo iuuantibus

te, ita permotus est, ut vir quidam nobilis asseuerarit, incolarum esse ter millia, qui omnes, si Collegium excitetur, suam operam studiose polliceantur. Impulit in hanc sententiam Nitrienses, Comitatum reliquorum in hoc regno consensus, qui omnes litteris ad eos missis præclarum testimonium de Societate dederunt. Misit ad eosdem litteras Cæsar, quibus nos amantissime commendabat: quibus, actum cum Nitriensibus, ut pagos illos, qui nobis subijciuntur, paganosque omnes a militum tuerentur incursum: minitantes etiam, nisi libenter id fieret, vi armisque prohiberentur.

G E R M A N I A  
S V P E R I O R .



**GVNT** in Prouincia Superioris  
Germania decem domicilijs de So-  
cietate ducenti quadraginta vnus .  
Ingolstadij vndequinquaginta: Mo-  
nachij viginti octo : vno minus Di-  
lingæ : Augusta viginti: Oeniponti  
Lucernaque octoni deni: quaterni deni Hala, & Fri-  
burgi : Landspergæ triginta septem : septem Ratis-  
bone . Quinque extincti morte . Viginti in Socie-  
tatem recepti .

GOLLEGIVM INGOLSTADIENSE.

**I**NGOLSTADII duobus locis Nostri con-  
cionantur : in æde Sancti Maurij , & in aula  
gymnastii : in pago item, dominicis festisque diebus :  
eo videlicet fructu, qui e meliore multorum vita, &  
e numero penitentium colligi potest : a nostris  
enim Sacerdotibus quinquies mille ducentæ confes-  
siones, e quibus, a prima etate, septuaginta, circi-  
ter excepta : eorundem opera quindecim Ecclesia  
restituti . Desperati aliquot, & destinata morte,  
melius sperare iussi : duo maxime, quorum alter fer-  
ro sibi hauserat latus, alter se præcipitauerat in Da-  
nubium, vnde a piscatoribus extractus . Doctrina  
Christiana, quæ quinque pagis traditur, felices suc-  
cessus



cessus habet, feliciores urbana Catechesis, ad quam publici ludorum magistri suo quisque ventitant cum grege: hoc vt libentius factitent, aucti stipendio. Spiritualibus exercitijs nouem præculti: septem asciti in Societatem: aliquorum tentata perseuerantia illustrior fuit: vnius præsertim Franconis e veteri prosapia: affectabat hic iamdiu nostrum ordinem, verebatur, ne sui si admonerentur, moram voto afferrent: igitur clam fratre, quo conuictore & condiscipulo utebatur, Landsbergam contendit: atque vt ne assequi frater eum posset, deuo itinere quem & persequentem sefellit: missi deinceps e patria viri duo nobiles, ipsius repetendi: accepti sunt perhumaniter a Patre Rectore, dimissique re infecta: accessit in cumulum, aduentus tertij fratris natu maximi, qui etsi primo impetu grauis, exitu vanus apparuit.

### COLLEGIUM DILINGANVM.

**Q**VI IN VRBE pagisque cum Ecclesia reconciliati, fuere supra triginta. Hæretica superstitionis que scripta abiecta, & exusta: multi a spectris animique angoribus liberati: discordie graues, & ex ijs, quæ dicebantur inductæ veneficijs, sedatæ: simulacrum diuini agni in consecrata cera, amuletum pluribus fuit. Sodales Parthenij vetus retinent institutum pietatis. Sacris meditationibus informati plus viginti. Ex his initijs, aliqui ad varios Religiosorum ordines, sex ad nostrum progressi.

*si. Etsi Religiosi etiam ad quinquaginta, qui in con-*  
*nictorum contubernio studiorum causa versantur,*  
*ijsdem commentationibus instructi. Solent hi, ubi*  
*ad suos reuertuntur, & aestimatione, & usu, ma-*  
*gno in pretio esse: hoc certe anno, ex alumnis nostræ*  
*disciplinæ tres Abbates electi. Hæc fere domi. In*  
*vicino virginum cœnobio omnium confessionibus au-*  
*res datæ: ad easdem fere menstruæ exhortationes*  
*habitæ, cum fructu. Regulus quidam magnæ di-*  
*gnationis, cum confessionis causa Nostros euocas-*  
*set, cum multa in eius cohorte familiaque ad Dei*  
*gloriam gesta, tum illud, quod concubinae sacerdo-*  
*tum ex tota eius ditioe exactæ. Reditum Eluan-*  
*gam: itum Gamundiam, Gunsburgumque: nomina*  
*sunt oppidorum: in quibus omnibus, ut in pagis*  
*etiam multis, ac Monasterijs, viliter, & strenue la-*  
*boratum. Accitus etiam vnus a viro principe, ad*  
*ciuitatem Luthero corruptam, Erat ipse Catholi-*  
*tus cum vxore Lutherana: quæ & cupiebat com-*  
*mittere Nostrum cum doctore delirantium: Super-*  
*intendentem appellant: a quo cum detrectatum cer-*  
*tamen, alius Prædicans (& hoc est nomen officij)*  
*verbis obtereret, & ipse quoque pronocatus esset,*  
*excusato morbo, scriptisque capitibus controuersis,*  
*risu magis, quam oratione eijciendis, prodidit vani-*  
*tatem, & inscitiam suam.*

COLLEGIUM MONACHIENSE  
Et Ratisbonense.

**T**RIBVS diuersis in locis conciones a No-  
stris habentur diebus festis : tribusque item  
in alijs fructuose explicatur Catechismus : qui pec-  
catorum sarcinam apud nos deposuerunt , sexdecim  
millia numerantur : ea replicarunt vel a prima pue-  
ritia , quadringenti triginta tres : atque ex his alij  
obscœnis visis , terroribus alij nullam quietem animo  
dantibus , admonentibus alij somnijs , ad hoc fa-  
ciendum adducti . Quattuor virgines in nostro tem-  
plo confessionem obire solitæ suscepto Sanctæ Clara  
instituto se Deo manciparunt : agris & afflictis ho-  
minibus cura diligens impensa : mirabilem consecra-  
tæ ceræ opem sensere permulti : manus violentæ a  
quorundam cervicibus abstractæ : de demonum præ-  
stigijs edocti nonnulli : operæ erit inserere vnius  
exemplum . Vir erat pietati in speciem deditus : huic  
noctæ quadam oranti offert se ignota diaboli effigies,  
difficilem præcipit longamque formulam precatio-  
num Deo acceptissimam : vt singulis scilicet nocti-  
bus , nudato corpore , genuflexus , passisque mani-  
bus , psalterium totum exequeretur : facienti impe-  
rata , defatigatione credo , & precum longitudine ,  
subijt dubitatio , num laterent insidiæ : refert se ea-  
dem imago , præceptum firmat futuro miraculo : po-  
ne ouum , inquit , in ara diebus sabbati , postridie  
auro radiabit : sed cum ille , an gloriam quærens , an  
consilium , rem cum alijs communicasset , persuasum  
est

est homini, ut ad nos referret: a quibus cum didicisset inimici fraudes, purgassetque conscientiam, omni molestia liberatur. Eorundemque opera simultates variæ sublata: male acquisita bene redita: mulierculæ quædam ad honestiorem vitam reducta: dissidentes a fidelium cætu septuagintaquatuor reconciliati: libelli hæretici magicique combusti. De scholis hoc dici potest, siue auditorum spectes numerum, siue nobilitatem, siue diligentiam, siue denique pietatem, florentiores numquam antea fuisse. Excellunt conuictores e Collegio Sancti Michaelis, & qui e Sodalitio Virginis. Et huic quidem Sodalitio, quo sollempnis Eucharistiæ supplicatio conspicitur illustriore apparatu, Gulielmus Dux serenissimus, vexilla duo, cū sacra veste auro argentoque intertexta magno pretio comparauit: huius porro Ducis tam magna erga nos beneuolentia, ut ampliora beneficia quotidie existant. Sileantur itiones crebræ in Collegium, templumque: nuper, ut liberaret suspicionem Serenissimam matrem, qua eam asperserant ficti sermones hominum maleuolorum, quas litteras dedit? quanta significatione voluntatis? Has tu, inquit, litteras, mater optima, illis obrudas licet, qui audebunt Iesuitis maledicere: conticescent. Habuit fidem filio mater, & placationis argumentum in usum sacrae suppellectilis ducentos florenos Collegio misit. Illustriissimus etiam Princeps Ferdinandus Ducis Gulielmi frater, præter ea, quæ confert in sacellum, quod extruitur in templo, suam liberalitatem sumptuosis muneribus ostendit. Redeo ad Sodalitium  
 Virgi.

Virginis. Sodalis quidam, cum in se inquirendi, quid cogitasset, dixisset, egisset, omisisset, adhibito studio recognosceret, obsecraretque reginam Angelorum, ut omnia sibi fas esset peccata confiteri, ne vno quidem pratermisso: ecce tibi, e sublimi, ante faciem orantis pagella decidit, candore eximio, quæ minutis quidem litterulis, sed elaboratis, quoddam illius peccatum expresserant: hoc addito, si illud aperiret pieque Rosarium recitaret in honorem Deiparæ, bene secum actum iri: auxit miraculum, quod cum sodalis alter eius æqualis, parens parochus aliique conarentur, numquam chirographum illud intelligere potuerunt.

I A M D E R A T I S B O N E N S I Collegio (ita enim dicitur in posterum, quæ hætenus missio Monachiensis) pauca reponantur. Eorum, qui Sacerdotem nostrum in templo maximo audiunt concionantem, numerus non exiguus: fructus spe, quam re ingentior. Obstat enim multis vitiosa verecundia. Et est hæreticus, qui affirmet intra triennium magnam hic morum mutationem secuturam; adhuc quidem, hæreseos vinculo sex, peccatorum, sub Pascha, soluti amplius ducenti. Apud illustrissimum Lantgrauium, qui nostros vocat hebdomada sancta, ad Catholicam religionem rediere plus minus ducenti quinquaginta. Ceterum, cum filij tres Gulielmi Ducis, Philippus Episcopus Ratisbonensis, Ferdinandus, & Carolus Salisburgum mitterentur, eis, rogatu parentis, comites additi e Nostris duo, & quasi rectores pueritiæ dati: etsi  
post

post paulo egrotantibus illis omnibus, Carolus nondum octauum egressus annum immatura morte decessit. Hic dum Nostri versantur, consilia quoque curasque in ciuium salutem verterunt: confessos audierunt quadringentos quinquaginta: e quibus viri illustres amplissima dignitate complusculi: ex eodemque numero, omnis aui peccata commemorarunt septem & triginta. Mulier, cum tertium iam infeliciter peperisset, idemque timeret vtero quem ferebat, vocem audisse dicitur confessionem iubentis: ei cum obedisset, peperit sine noxa: denique ex errore Fidei reducti viginti quatuor.

## COLLEGIUM AVGVSTANVM.

CONCIONES, quæ duobus in vrbe templis haberi solita, vtilissima fuerunt, & tum populo tum Episcopo ipsi gratissima: quamquam Episcopi pluribus etiam in rebus enituit erga nos beneuolentia: is enim, vt omittam dies ceteros nobis sollemnes, kalendis Ianuarijs, quo die anniuersaria apud nos celebritas causa indulgentia, templum nostrum inuisit, ibique sacrificium Deo obtulit, dein Collegium, vbi, exceptus oratione Latina, ad quam ipse diserte respondit, lautum Nostri epulum dedit: tum vero concioni pomeridiana voluit interesse: postquam Sacerdoti descendenti e suggestu dexteram porrexit indicem perceptæ voluptatis: quæ omnia magno nobis ornamento, & rei Catholicæ vsui fuisse: extincti enim sermunculi hominum, qui nescio quæ

de Episcopo & Iesuitis falso credita vaticinabantur: sic vt aperte nunc predicent anisistitem amplecti Fidem Iesuitarum: quod & accipienti, quæ eius est humanitas & religio, incundissimum fuit. Ceterum per Nostros ad Ecclesiæ sinum se receperunt tres & quadraginta: in his vnus euangelici verbi minister, cuius, vt inter suos, magna fama eruditionis: peccata, eluerunt salutari Sacramento, ne quid dicam de alijs anni temporibus, circa Paschales ferias, quinquaginta sex præter mille & ducentos. In Monte Sancto, nonaginta: Sacri agni cerei vis, auertendis incantationibus, monstrosisque imaginibus, & curis animo infestis, crebro animaduersa: iniqui contractus correcti: pecunia reddita iniuste possessa: e duorum Dynastarum ditioribus Sacerdotum pellices expulsæ: excitati ritus pij, qui modo sepulti: inuenta matrona, quæ nouem ipsos dies interiore cilicio, ieiunio, flagellisque in corpus suum desauit, vt Deus miseretur cuiusdam animæ, quam flagitiorum sceditas faciebat miserrimam: illustres femine tres ita per totam Quadragesimam se pietati deditere, vt quotidie exposita particula historiae de Christi Domini cruciati, in cuius meditatione semihora ponebatur, suam quæque familiam ad eandem formauerint disciplinam. Suscepta etiam ollemnis peregrinatio ad Montem Sanctum notabili celebritate, ac frequentia: prelati suis cuique ordini insignibus: magna cauillatorum, qui se ad spectandum effuderant, offensa. Vinctis Nostrorum industria sæpenumero salutaris fuit. Infamis erat latro qui

in questione de triginta septem homicidijs confessus, addiderat templorum direptioni admonuisse sacrilegas manus, nec abfuisse miracula: cum intraturus noctu eodem, vndique volitantium strepitu saxorum arceretur: & alio tempore, sacrosanctam Eucharistiam surrepturus, ob flammam e caelo, tabernaculum iuxta, ad mirantis pedes delapsam, tactu abstinerit. captus hic tandem Augusta, cum vxore malefactorum conscia & particeps, cum apud Sacerdotem nostrum vterque esset confessus, mirum quam acerba tulerit, cum verba tractus flammanti forcipe peruelleretur, & quam forti animo: vir inter ferri morsus dolorumque, intendens cogitationem in cruciatus, qui sibi apud inferos debiti fuissent, identidem repetebat, eos, quibus tunc torquebatur, contemnendos omnino, ac perleues videri: Sacerdotem interea ne a se discederet, orabat: ad extremum, vxore extincta aquis, ipse in rotam actus, eiusque radijs districtus (tormenti genere horrendo) per tres horas, tanta constantia, vt spectantibus in misericordiam versis, lacerato tandem corpore, resti ad rotam suspensus, animam efflaret. Hac inter xenodochium minimo neglectum: excepta etiam in loco lurido confessio multorum. Sancte pieque decessit matrona perillustis, & de nobis optime merita, cui ante obitum, vt ipsa rettulit, visa imago Mariae Virginis (hanc viuens colebat enixe) ad felicioram vitam inuitantis. De scholis haec pauca: auditores nec pauci, & plerique nobiles: eorum exercitationes accuratae, & frequentes: & sp-



paret magistrorum labor: piorum liberalitas erga nos magna, qua & are alieno liberati sumus, & auctum sacrum instrumentum, Collegioque fundus adiunctus: is fuit ad usum necessarius: cum enim interdum pestilitatis metu, motuque rerum, fuerit Nostris migrandum vrbe, videbatur prospiciendus suburbanus locus, in quem tuto concederent: itaque Fribergæ (abest Augusta mille passibus) parte fundi a Fuggeris donata, parte coempta, mille etiam aureis aliunde collatis, templum magnifico apparatu primo lapide in fundamenta coniecto, ædificari cepit mense Maio, sextoque idus Septembris, beatæ Virgini nascenti dicatum.

#### COLLEGIVM OENIPONTANVM.

**M**ILLE sexcenti confessi, de vniuersa vita tercentum triginta quattuor. Ter quadragenarum horarum obita comprecatio, mira dispositione ac pietate accedentium: doctrinæ Christianæ explicatio non ad usum modo, sed etiam ad speciem insignis: excursio in pagos propinquos tum vtilitati seruijt paganorum, tum ornatui templorum: veste videlicet sacra vel aucta, vel refecta: vndecim abiurarunt hæresim, multo plures in Fide roborati: libri hæretici in flammæ coniecti. Sacrarum Cænobium virginum, aliquot milliaribus Oeniponto distans, ipsarum rogatu a Nostris aditum, eæque adiuta, vt sanctius ac reuerentius numini famulentur. Eodem tempore multorum audita confessiones, & fere

fere vita vniuersa. Discipulorum religio viruit hoc etiam anno, & quodam flore virtutis exarsit. Vnus ex ijs, cum esset morti proximus, orabat patrem, quem transuersum agebat illecebra peccandi, daret hoc sibi nihil amplius petituro, corrigeret mores: non futuram, si cum hac spe decessisset, mortem acerbam: hoc cum pollicitus esset pater, tanta filium voluptate affecit, vt paucis post diebus, quasi iam pater parentis sui, quem pietati genuerat, summa cum voluptate moreretur. Alteri ita carus amor pudicitiae, vt ne libidinum vapore afflaretur, gliscentem illum, argente hieme, fontana aqua perfrigida, magnus Francisci amulator, extinxerit. Serenissimi Archiducis hoc etiam anno erga nos eluxit beneuolentia: æs nempe alienum nostrum dissoluit: domus pauperum scholasticorum ab eo superiore anno coempta, hoc anno piorum hominum ope excitata a fundamentis.

## HALENSE COLLEGIVM.

**T**AM FREQUENTI multarum rerum occursu turbantur Hale studia Nostrorum, vt exiguitatem fructuum voluntatis magnitudo defendat. Et tamen quesita occasio laborandi: conciones habitæ in hospitali domo, alijsque in locis, & in templo nostro: vbi & elementa Fidei explicata non omnino inutiliter. Scholæ nonnihil auctæ: adiuuit Sanctæ Catherine conuictorum domus, Serenissimæ Reginæ pietatis argumentum: in qua nunc,

vt his initijs, viginti sex adolescentes, plerique nobiles, omnes ingenui ac liberaliter educati: praest regimini Sacerdos externus, a quo adhibentur Nostri in consilium, ex praescripto Reginae. Iaciebantur, a nescio quo, inter concionandum ad populum occulta semina corruptae doctrinae: admonitus primum vti desisteret ab incepto, cum nihilo minus pertenderet, & e suggestu queribundus tantum non minantem digitum intenderet in Nostros, ne prauitas docentis in perniciem erumperet audientium, Archiducis Ferdinandi iussu solum vertit. Ceterum Pater Christophorus Zieglerius excessit e vita: quem anno ante quadam ferunt diligenter conscripsisse, vt ea sibi in extremo certamine suggererentur.

### COLLEGIUM LVCERNENSE.

**A**D RATIONEM nostri Patris Ignatii duodecim exerciti: ex his tres ordinis senatorij: quorum primarij Duces duo aduersus hereticos Gallicae expeditionis, presbyteri sex, diaconi duo, quorum aliqui varias Religiosorum familias ingressi. Concionum fructum ex eo aduerteris, quod parem caessem toto anno acceperunt in aede nostra supra decem millia centum sexaginta octo: etsi in festo Paschae sua quisque in Paroecia de more communicauit: peccata quae vnquam se admittere meminuerant, exposuerunt trecenti vndequadraginta miseris quidam homines quos veterator ad desperationem abiecerat, vt etiam de extremis secum agerent;

tarent, ad venie spem ac vita melioris erecti: sic  
 ut Nostrorum industria videatur afflictorum esse  
 perfugium: hac fama cum impleffet aures cuiusdam  
 virginum antistite, extra Helvetia fines, tridui iti-  
 nere ad Nostros accessit, a quibus accepit, quæ uti-  
 lia sibi virginumque institutioni viderentur. Lites  
 dirempta: superstitiones sublata: nota magicæ ar-  
 tis ambusta: pecunia reddita, quæ non retinebatur  
 iusto titulo: a turpi pellicatu aliquot abstractæ: e Fi-  
 dei naufragio erepti triginta: multo plures sedati  
 fluctuantes: adiuti aliquot in patibulo, in lectuloque  
 multi morientes: hoc in genere illud memorandum,  
 quod adolescens vnus, e nostris auditoribus, ab ipsa  
 statim confessione, leuatus morbo, qui vitam ad-  
 mebat, mirante muliere quæ assidebat egroto, in-  
 columis surrexit. Octavius Paravicinus Alexan-  
 drinus Episcopus idemque Nuntius Apostolicus ma-  
 iora erga nos præbet in dies humanitatis argumen-  
 ta, nec minora erga Deum pietatis. Feria quinta  
 maioris hebdomadæ simul sacris operatus est in tem-  
 plo nostro, tredecim conquisitis hominibus e face  
 plebis pedes lauit, eosdemque, non nisi exceptos  
 conuiuio, donatosque pecunia, dimisit. Secunda  
 Dominica Quadragesimæ ab illo ipso iacta fundamen-  
 ta nouo templo extruendo: magna gratulatione læ-  
 titiæque ciuitatis, & commendatione Fundatoris,  
 e Phisserorum familia, cuius laudes carmine cele-  
 brata: in precibus ad Deum fundendis magnus ci-  
 uium ardor: faciem præfert vnus Prætorum, com-  
 memorabili exemplo. Acciti a Curionibus Nostri

in vicinos pagos ad habendas conciones confession-  
 nesque audiendas: in quodam Monasterio virginum  
 disciplina restituta: in alio quodam pago inclyti no-  
 minis, Sancti Marcelli Pontificis optimi Marty-  
 risque fortissimi casula miraculorum effectrix, indi-  
 ta a Sacerdote nostro, magno populorum concursu,  
 in arcam ligneam inauratam, quam Nuntius Apo-  
 stolicus, vt maior eius esset veneratio, curauit fa-  
 ciendam. Badam etiam vnus profectus, in itinere  
 flexit ad virginum cœnobium rogante Præposito: au-  
 dît illas, & alios præterea quadraginta duos confi-  
 tentes: duos ad Ecclesiam adiunxit. Badæ pecca-  
 torum nexibus absoluti centum octoginta. Ex alijs  
 excursionibus similes fructus, integris plerumque  
 Pagis sese effudentibus ad Nostros excipiendum.  
 Sed eminent inter omnes, profectio ad oppidam non  
 procul vrbe Basilea, nomine Lauffen. Est ipsum,  
 iam inde ab eo tempore quo Basilea se ab Romana  
 Ecclesia indignissime auellit, hæresi corruptum:  
 et si cum aliquot pagis mansit in ditione Episcopi:  
 hic, ipso rogante Basileensi Episcopo, Nuntioque  
 Apostolico perutiliter Nostri versantur. Et iam eo  
 in oppido sexque pagis finitimis magnam consecu-  
 tam accepimus mutationem animorum: restituta  
 templa, instauratas aras, rem diuinam tam longo  
 intervallo iterum celebrari cœptam. Sed harum re-  
 rum exploratam integramque perscriptionem, quan-  
 do nunc maxime opus feruet, conuenit ad alterius  
 anni litteras reseruari.

## COLLEGIVM FRIBVRGENSE.

**Q**UANDO propria praegravant, commu-  
 nia pratermittantur. E Geldria vnus lon-  
 gissimo itinere ad nos venit, vt liberaretur stimulis  
 conscientiae: res successit ex sententia. Hoc mirabi-  
 le. Mulier non ita pridem per Nostros e turpitu-  
 dinis & haereseos caeno emersa, cum sola exisset ex  
 vrbe, a quodam, quem effugere non potuit vestigijs  
 insistentem, sollicitabatur ad flagitium: exorat illa  
 tantulum spatij, dum e silua proxima referat gra-  
 dum: huc se maesta conijcit, flexisque genibus suspi-  
 ciens calum, non sine lacrimis Deum precatur, bea-  
 tamque Virginem, vt ne se deserat: tum, quasi sen-  
 sisset auditas preces, alacriore animo egreditur: &  
 sequitur quidem impudicus, sed lento passu, altoque  
 silentio, similis pauenti: vbi tandem mulier se in tu-  
 rum perduxit, victrix exclamat. At, ille ego te, in-  
 quit, non timui, sed adolescentem, qui tecum in via  
 colloquebatur: persuasit illa sibi obiectam homini  
 speciem custodis Angeli, quem cultum antea, in po-  
 sterum statuit colere diligentius. Sequitur aliud in  
 alio genere. Bernae virgo erat Catholicis parenti-  
 bus: huic Musculus non ignobilis Calvinista here-  
 sim suadere conatus est: frustra: numquam enim  
 Sabbatis destitit a percurrendo Rosario, vt haberet  
 illum honorem Deiparae Virgini: hoc dum facit ali-  
 quando, perturbari, angi animo, ac diuexari coe-  
 pit: igitur postero die, conducto equo, Friburgum  
 iter intendit: nec caruit insidiantem: ter illam excus-  
 sam

*sam equo cacodemon afflixit ad terram, exhortans ad reditum: illa tenax propositi ire pergit: dum tandem superatis hoste viaque ad Nostros se sistit cum Deo reconciliandam. Scholasticorum, qui habentur quattuor classibus, tantus fulgor pietatis est, ut eluceat Catholicis exemplo, vrat hæreticos inuidia. Et cupiunt quidem corui nidum figere in loco non adeo remoto, vbi pullos excludant: sed iudices malorum ororum sobolem verentur: & iam, fremtentibus licet aduersarijs, augetur schola, tectumque impositum nouo Collegio, quod superiore anno institutum.*

### DOMVS PROBATIONIS

*Landspergæ.*

**Q**VI HIC AD Societatem formantur, nihil sibi relinquunt, quantum quidem homini licet, de priuatis affectibus: parentum etiam, si quidem aduersetur honori diuino, amore neglecto. Vnus ad patrem qui cum missis literis nuntijsque abducere conabatur, ita rescripsit, ut ei vel necessitatem tacendi imposuerit, vel iterum scribendi verrecundiam. Alterius pater, ad filium grauem & piam composuit epistolam, cuius, quadam in parte, sententia in hunc modum fuit. Nimum quantum debes, fili optime, bonorum auctori Deo, qui te, a puero, equorum exercitationem atque armorum speciem secularis militie vehementius quam cau-  
tius

tius appetentem vocauit ad sacram militiam suam ;  
 in qua gloriam consequi possis sine fine mansuram .  
 Et inclaruisses fortasse militari fama in vita priorē ,  
 sed , quam breue ad tempus , quanto periculo quaerentis ,  
 quanto possidentis metu ? Ego quidem mirari satis non possum  
 illorum amentiam , qui virere sinunt in cordibus suis  
 amorem rerum humanarum , qui exaruerit in semetipso .  
 Optimam tu partem optasti , cum disruptis vinculis euolasti  
 ad Christi vexillum : quin & primo aditu durus videbitur  
 inexperto labor , & occurret cogitanti longum tempus ;  
 ad quod iaculaberis vitam : sed nec difficilis erit ille ,  
 quem cum letitia feres : nec illud longum , quo peremnitatis  
 acquiritur : simulque aderit tibi , qui dixit : Iugum  
 meum suauē est , & onus meum leue : facietque ut  
 computrescat iugum a facie olei , & onus tecum ipse  
 portabit . Certe , istius , quam quidam seruitutem  
 appellant , maior erit iucunditas , quam illius cuiusdam ,  
 quæ percipitur a cunctis , falso nomine libertatis .  
 Quod si prosperum tibi in ista nauigatione cursum  
 caelestis aura indulserit ; vnum tamen omni prouisione  
 mentis scopulum deuota : ne plus iusto placeas tibi :  
 ad hoc saxum nonnulli allisa puppi naufragium fecerunt  
 in portu . Recte Seneca : Facile contemnit omnia ,  
 qui ad contemptum sui peruenit . Ex his paucis  
 qualis reliqua fuerit Epistola , coniectare licet .  
 Ceterum duo visa oblata sunt vni Nouitiorum ,  
 aequae memoranda , dormienti , & vigilianti .  
 Dormienti , cum eum importunus mare opprēssisset ,  
 Christus apparuit ;



duas coronas e sentibus, & , alteram quidem, hor-  
 ridioribus ferens : quam is, qui hoc videbat, data  
 optione cum elegisset, narrauit se postmodum ser-  
 mone Domini visoque admirabiliter recreatum : at  
 contra vigilanti, cum in hortum penitiozem seces-  
 sisset, malus demon imaginem referens Patris Mi-  
 nistri: a quo atrociter increpitus ac perterritus est:  
 sed cum eodem pene momento temporis attollens  
 oculos aspexisset Patrem Ministrum e specula pro-  
 spectantem in hortum, intelligens diaboli fallacias  
 animum erexit. Sed & tyrones ipsi, suscipiunt  
 partes, si quando hac eis cura demandatur, iradi-  
 di urbanis pueris paganisque initiamenta Christia-  
 na: nec negligitur munus confessionis: pacificatio-  
 nis, multorum ad Christum conuersionis, & ciues  
 agnoscunt laborem, & adiuuant collata ope labo-  
 rantes. Inuentus vnus ceterorum dissimilis, qui la-  
 trocinio gaudebat. Hic enim, vt est confessus in  
 tormentis, nocte illa, qua consecuta est primum  
 diem Pentecostes, per fenestram demittens se in e-  
 dem nostram, adortus spoliare geminas aras ab  
 vtroque latere templi, crucemque e crystallo affa-  
 bre factam, in qua Christi imago ex argento inau-  
 rato, itemque candelabrum, ex eadem materia,  
 cruce respondens corripere ausus, in saccum conie-  
 cit, quem habebat cingulo appensum: cum venis-  
 set ad sacrum pegma Eucharistiae asseruandae, quod  
 moliebatur, tantus eum terror inuasit, vt horam  
 amplius horrore defixus steterit in eodem vestigio:  
 tandem recepto vt cum que animo, cepessit fugam,

etiam

etiam tunc attonitus, eorum quæ relinqueret, eorum quæ secum anferret, ignarus, redit domum nocte intempesta, incertum an magis gaudens præda, an mærens conscientia: qua impulsus, ut ne agnoscerentur res furtivæ, crucem confringere aggressus sacrilega manu, quam statim cruentatam vidit sine vestigio vulneris. Hæc ille, ut dixi, in quæstionibus. At nos pleraque recuperavimus Dei beneficio, & comminutæ Crucis partes priorum liberalitate in integrum restituta.

P R O V I N C I A  
R H E N A N A.



APITA in vniuersum censetur vndetriginta super trecenta : vnus tantum imminuit numerum : auxere septem & viginti.

COLLEGIUM COLONIENSE.

**N**E EXCURRERENT Nostri longius ( triginta septem Colonia versantur ) obstiterunt arma circumsonantia : eo magis enituit virtus collecta. Feminae fluxa fidei, & proiecta pudicitiae, non paucae siue aetate furys, siue angore conscientiae, per ferrum, restem, flumen vita se eijcere cogitantes, ad meliorem mentem reductae : pacificati permulti : diuinis commentationibus perpoliti non pauci : multo plures anteaetate vitae criminibus expiati : vt in rebus turbidis, caelestis irae placamina instituta. adiunxit pios conatus Octavianus Episcopus Calatinus Nuntius Apostolicus & opera simul & exemplo : Sacrificauit saepe in nostro templo, nec Eucharistiae modo Sacramentum, sed Confirmationis etiam pluribus impertijt : ad decem locos, quibus explicabatur Catechesis, accessit Paroecia beati Petri, & gymnasium sanctorum Apostolorum, vt tota ferme vrbs addiscentium Christianae legis initia, & cantantium vocibus sonet : & ea mune-

vis'functio sit iam omnibus gratissima: etsi tam leti  
 successus dolorem non dissimulauit diabolus: ipse  
 quoque suos excitauit pseudocatechistas, vt libros  
 & venenum spargerent in vulgus. Sed mendacium,  
 licet subita capiat incrementa, non diu valet: a-  
 gnitum malum Nostrorum industria, iuxtaque de-  
 pulsum est: exilium praua docentium Senatusconsul-  
 to sancitum. Visitati interim qui erant in carcere:  
 non nemo e vinculis noxaeque exemptus: nec defuit  
 vir insignis virtute bellica, qui ab haereticis armis  
 dolisque ad Catholicam veritatem militiamque se  
 conuertit: pauperes non neglecti: qui inopia pressi,  
 morboque, in compitis iacebant, ad valetudinaria  
 adducti, refectique: adiuti eodem studio aegroti, &  
 domi suae morientes: mulier vna clara magis quam  
 proba, cuius causa nobiles inter familias duas gra-  
 ue odium & vetus, cum ex dolore corporis mor-  
 tem timeret, Sacerdotem accersit, solatiij quaren-  
 di magis, quam auxiliij: sed repetitus sermo in cu-  
 ram & cupidinem auxiliij adduxit: igitur consuluit  
 animae saluti confessione, testamento: quo magnam  
 vim pecuniae legauit pauperibus: pacatisque familijs  
 in pace quieuit. Matrona quadam ex earum numero  
 quae apud Nostrum pietati seruiunt, haereticum ho-  
 minem cum audisset loquentem cum viro, & iactan-  
 tem in Calites probra pati non posset, sapienter ad-  
 monuit, parceret maledictis, alioqui per iugulum  
 rederetur: contempta tum quidem est, sed nocte se-  
 quenti cognosci potuit vera dixisse: correpta illius  
 proles fontico morbo: remedium a multis frustra  
 queri:

queritur: it hæretici vxor ad Catholicam illam matronam: hæc suadet vt puero salutem a beato Cornelio exposcat: cuius potestas in simili morbo sæpius spectata: quæ est hominum peruicacia, ne sic quidem non videntur dicta salutaria: eo magis puer luctu pergit perfidiam parentum: dum tandem vtuntur dato consilio: & voti compotes, reddita filio salute corporis, ipsi etiam salutem animi, Catholicam amplexi religionem cum omni familia, receperunt: præter hos vnus & viginti: Nostrorum quidem opera: sed in huius Societatem muneris intulit se Parthenium Sodaliitium: adolescentes in eo ducenti quinquaginta: e quibus nouem in varijs Religiosorum ordinibus quattuor in nostro, se Deo consecrarunt: tantaque sunt omnes pietate, vt consolentur siue difficultatem temporum, siue paucitatem auditorum. Ceterum cognita est diuina in Nostros prouidentia: quando in summa annonæ caritate, Rheino videlicet in seffo, clausisque subsidijs, piorum liberalitate, suppeditauit frumentum. Sed & Serenissimi Archiepiscopi munificentia auxit rem familiarem, & rectigal domesticum.

### COMMORATIO CASTRENSIS.

**B**ONNA vrbs est ad ripam Rheni, effuso olim fortissimorum militum, & sanctissimorum Christi martyrum Thebaorum sanguine, nuper etiam, non ita multis ab hinc annis, accepta clade insignis, neque tamen vt sibi caueret satis edocta.

Videli-

Videlicet ineunte anno, cum præsidium militum dimisisset fiducia pacis, latrones excitavit occasione intentos, ut ad prædam inhiarent: nec desuere in vrbe participes sceleris & conscij. Igitur Decembri mense, qua Rhenus præterfluit, vi pulueris tormentarij, procumbente porta, sub tertiam vigiliam noctis, magno impetu terroreque iniecto ciuibus, vrbe potiuntur: erat in capta parte vrbis Sacerdos noster procurator rei Catholica:is cum exaudiret clamorem hostium, & sonitum flammæ, ignarus facti domi se continebat, opperiens mortem, ad eamque se comparans effusis precibus: hæc inter nuntiatur urbem ab hostibus teneri: tum vero a desperatione animo sumpto, crepidatus, uti erat, festinatione, seu inopia consilij, domo se proripit, defensusque tenebris, cum vasta omnia & sola vidisset, reperto aditu quem hostes moliti fuerant, via, ut erat tempus anni, deterrima, euadit: cum interea a victoribus tota vrbe volitantibus nulli nec crudelitati nec auaritiæ parceretur. Et erat iam Bonna, ad prædandum subinde in vicina loca erumpentium, arx sceleratorum, castellum latrocinij, prædæ receptaculum: nec ita sunt diu dominati. Etenim præsul Agrippinensium subnixus Catholico rege exercitum confecit, illustrissimoque principi Carolo Croio Arschitani Ducis filio & regis Legato commendauit: ipse autem cum Vere appetente sicarios obsidere omnique comæatu prohibere institisset, mira arte belli eo rem deduxit, ut ad deductionem compulerit Autumno adulto. Ceterum

vigente obsidione ad militares animos in officio continendos, accersire placuit Sacerdotem vnum e Nostris, non irrito consilio: peccata impedita, iurisiurandi consuetudo, & lasciuia sublata, impura muliercula exacta, aut iusto matrimonio locata, aegroti, faucij, capitali supplicio afficiendi pro viribus adiuti, tribunorum ira sedata, pacatique nonnulli: vt vnus industria magnum militibus fere omnibus momentum attulerit ad salutem animarum.

### COLLEGIVM TREVIRENSE.

**T**REVIRENSE Collegium, vt alias memorauimus, bipertitum est: veteranos habet duodeviginti, tyrones viginti sex: cum vicina circum turbarent loca, pestilentia & armorum metu, discipulorum numerus auctus, nongenti amplius numerantur, magna omnes ad pietatem indole praestantes: ex his multi in varias Religiosorum familias, duo in nostram post confectum Philosophie curriculum adscripti. Mirus fructus e concionibus, & e reliquis muneribus nostrae Societatis. In cenobijs sacrarum Virginum effectum est aliquid ad Dei gloriam, actumque, magno quamquam labore, vt res in commune conferrent, quas veluti proprias queque habebant. Viri complures diuinis meditationibus exerciti: prauarum opinionum stirpes ex aliquorum animis euulsae: ex his vnus Melanchthoni operam dederat per triennium, venit in certamen, & victus est a Nostro, periturus vtique, nisi victus

victus fuisset: multi præterea dubia fide nutantes,  
 ad constantiam erecti. Et sicut in corporibus agris  
 nihil quod nociturum est medici relinquunt, sic  
 per Nostros quicquid librorum obstabat Catholica  
 religioni exustum. Mitto libidines vltionum re-  
 pressas, restitutam concordiam, vel post homici-  
 dium, eruditos curiones ad sua munera rectius obeun-  
 da, confirmatas nuptias vacillantes, maledicorum  
 linguas in Deum & Calites coercitas, ad integri-  
 tatem vitæ & sanctimoniam non paucos institutos.  
 Magna in hac vrbe copia sagarum, quibus, vt mo-  
 rigerentur demoni amasto, quidlibet agere & pati  
 non turpe videtur: hæ fruges excantare, fascinare  
 pecora, insanabiles morbos immittere mortalibus  
 creduntur: vnum tantum aduersus earum carmina  
 remedium, piacularia Catholicorum: quod, hoc  
 quoque anno, vt & alias sæpe, probatum est. Tre-  
 uerensis quidam magna vir auctoritate, & opulen-  
 tia, cum vna ex his mulieribus, vt est singulari  
 humanitate in omnes, cum imprudens colloquitur,  
 contaminato illius spiritu ita afflatus est, vt, assidua  
 verminatione cerebri æstuantis, doloris magnitudi-  
 nem capere non posset, etiam deformiter ore distor-  
 to: aditur a Nostri officij causa, admonetur reme-  
 dij salutaris a Deo exposcendi, paret monentibus,  
 redditurque integritas vultui, & corpori salus.  
 Idem cum pro magnitudine potestatis exercet pæ-  
 nas talium anicularum, earum dolis appetitus est.  
 Offererat illi mulier rustica nescio quid ouorum,  
 excipit pileo pedisequus, quem cum, illis repositis



tis, imponit capiti, vsque adeo vexari cœpit dolo-  
 re, vt pane desiperet: confugit nescius quid ageret  
 in adem sacram, incensum caput immergit in vas  
 promptum aquæ lustralis, conualescit: maga com-  
 prehensa in quæstione dixit oua sic fuisse venenata,  
 vt gustantibus interitum, extuberationem tangen-  
 tibus essent paritura. Mulier egens cum deplora-  
 ret apud alteram, quam incommodo marito vtere-  
 tur, cepit ab ea panem exporrectum e sporta: eo  
 vesci incipientem bono animo altera esse iubet, nem-  
 pe morigerum virum affuturum: & fortasse incu-  
 bum intelligebat: vix abierat venefica, cum misera  
 offundi caligine, & desperatione agi, vt aliud nihil,  
 nisi vitæ exitum cogitaret: accurrit ad Nostros, ce-  
 reum agnum eorum admonitu adalligat collo, alijq.  
 vtitur remedijs ecclesiasticis, paucis post diebus,  
 omni sollicitudine liberatur: eadem ratio alterius,  
 quæ per tres annos dæmoni denupserat, exoluenda  
 fuit. Sed & puer iusculum sorbens, cum datus ei  
 esset a muliere panis, neque, a matre licet admoni-  
 tus, impressisset signum Crucis antequam deuora-  
 ret, tantulæ moræ impatiens, incredibili cruciatu  
 conuellitur: miserata mater filij vicem ad nos aduo-  
 lat, & solius aquæ salutaris poculo dolorem illius  
 fugat: puer alter annorum octo cum octies ad eam  
 officinam corruptelarum omnis generis hirco per-  
 uectus esset, omnium flagitiorum quæ ibi perpetra-  
 rentur enarrator, exorcisatus a Nostrijs, extraque  
 omne periculum positus est: fructus etiam non par-  
 uus fuit in mulieribus damnatis veneficijs, antequam  
 dedu-

deducerentur ad rogam, ad pœnitentiam adducendis. Domicilia non pauca, tum priuata, tum publica, liberata demonum spectris, & terriculis nocturnis: excursum in oppidulum ad ripam Mosella, sub ferias Paschæ: hæresim abiecerunt homines sexaginta: vir monopolium frumentarium exercens erat causa magnæ caritatis: huic Sacerdos auctor fuit, vt produceret quod habebat venale: laxata est annona, & ipse duplicem vtilitatem cepit diuino consilio: nam & auctus opibus aduentitijs, & eius rura intacta militibus, quo tempore cetera fere omnia eorum direptioni exponebantur.

## COLLEGIVM MOGVNTINVM.

**H**IC E NOSTRIS versati tres & quinquaginta, & cum plurimi, sexaginta, incolumi omnes valetudine. Magna consentium multitudo, sed Iubilei tempore multis ex omni vicinia affluentibus, omnino tanta, quantam his triginta annis Nostri non meminerunt. Id eo mirandum magis, quod, haud procul imminente hoste, omnia armis strepebant. Sub idem tempus in finitimos pagos vtiliter excursus: magnum ad pietatem incitamentum afferunt discipuli, in templo, cum sit res diuina, consecratam hostiam flexis genibus venerantes, præter præsentem morem & consuetudinem regionis. respexerunt Catholicam veritatem homines duo & viginti: his aggregarunt se mulieres duæ, ab vltima vsque Germania, id vt præstarent, vltro

profecta: sed & virgo aegrotata, cum sanitate mentis  
 corporis quoque recepit: transfuga reuertit ad or-  
 dinem quem deseruerat. cum in concione hortaretur  
 Noster, vt conferretur aliquid curæ in publicum  
 valetudinarium, auditores ita permouit, vt nouem  
 ex his, quos inter vir & vxor loci senatorij, aegro-  
 tos inuiferint, vt ijs ministrarent: idem vna aut al-  
 tera concione cætum virginum ad eximium amorem  
 diuini cultus erexit. Catechismus ingenti multorum  
 bono explicatur in vrbe, forisque: & in vrbe qui-  
 dem ad loca sucta, addita etiam duo, tam multis ac-  
 currentibus, vt speciem præferant iusta concionis:  
 at foris eo maior discentium vtilitas, quo minor  
 olim docentium copia: cum explicatione doctrine  
 Christiana coniungitur institutio vitæ. Grex a pasto-  
 re dissidebat odio pertinaci: reditum est in gratiam,  
 vbi curio orantibus Nostri pacatus ipse curiales  
 placauit: in vrbe deinde, in militibus instruen-  
 dis formandisque, adiuuandis aegrotis in nosocomio, ope-  
 ra præclare posita illud ad memoriam insigne. Vnum  
 e Rheni littore, vbi iacebat morbo affectus in squal-  
 lore ac sordibus propter cadauer amici, qui proxima  
 nocte expirauerat, brachijs sublatum Nostri intul-  
 lerunt valetudinario, ciuitate spectante. Itanium  
 ad nostras scholas probitas mentis, discendique di-  
 ligentia, iuxta admirabilis: multi Religiosorum fa-  
 milias affectant: dedidere se nobis duo, atque ex his  
 alter hæreticis parentibus: nec desunt ex eo nume-  
 ro, qui a turpissimo scelere deterruerunt homines  
 contaminatissimos. Sodalitas Dei Matris vixet vi-  
 getque:

getque : Sodalium maxime apparuit pietas, cum in Bacchanaliorum licentia, instructo agmine, per urbem mediam processerunt ad Crucem suburbanam, inclytam miraculo, & post Sacrum celebratum sollemniter, eodem ordine redierunt, vnde discesserant. Dolent interea magistrilli Heidelbergenses : & videntes labi suam disciplinam, refugiunt congressionem Iesuitarum, in Romanum Pontificem euomentes maledicta : hoc magis Nostri thesibus publice positis audientium animos ab insipienti secta auertere conantur.

### COLLEGIUM HERBIPOLITANVM.

**S**OCII duodequingenta. Sacerdos vnus vita functus, magno relicto illis desiderio, qui viuientis studio fruebantur : eius iacturam (quod rarum in his locis) compensauere quinque : in vrbe reconciliati cum Ecclesia sexaginta : extra urbem sexcenti : in his vir nobilis, magnaque, apud antistitem, & reliquos principes, gratia : puella exultum abire maluit, quam cum heretico coniungi : adolescens alumnus nostrae discipline Christiana usurpabat mysteria, ignarus parentes sibi fuisse anabaptistas : eius rei certior factus a patruo baptismum suscepit in nostro templo. Diuina frequentantium Sacramenta non exiguus numerus : prae lucet omnibus exemplo generosus Comes Rodolphus ab Helsestein assidua perceptione dominici corporis. Elementorum Fidei tradendorum consuetudo domi so-

risque nihil intermittitur, nec contemnunt Nostri  
 reliqua officia pietatis: per quoddam oppidum tran-  
 scunt exportauerunt mortuam puellam ad sepul-  
 crum, cum Parochus neminem haberet, qui eam  
 efferret: ipsumque postea adiuuerunt in officio fa-  
 ciendo: peragratur enim diœcesis rogatu Episcopi:  
 apparuit opera præcipue in mulieribus, quarum ani-  
 mus obfirmator, conuertendis ad rectam fidem.  
 Gerolshouium itum semel atque iterum: respice-  
 runt fere trecenta. Hinc discessit Sacerdos Don-  
 dersdorfum (oppidum hoc Catholicam religionem  
 biennio ante suscepit) firmavit oppidanos carentes  
 parochia, instruxitque Ecclesiæ Sacramentis. Fuit  
 locus, ubi mariti, pertinaces uxores, nisi Ecclesiæ  
 reconciliarentur, liberos, nisi aperirent peccata  
 Sacerdotibus, ædibus excluderunt. Murstadienses,  
 iam inde, a patrum memoria, Lutheri veneno fue-  
 runt infecti: ex his cum paucos in exilium egisset  
 præsul, quod studerent rebus nouis, ad ceteros ad-  
 iuuandos Sacerdotem accersit: is cum adduxisset om-  
 nes ad obsequium Principis, tenerioribus Confirma-  
 tionis, grandioribus persuasit sacramentum Confes-  
 sionis. Præter hanc proninciam alia item obita,  
 cultu in primis horrida, septuaginta amplius pagos  
 complectitur, abbati quidem parens Catholico, sed  
 utens ministris corruptoribus: etsi in hoc quoque  
 opere & abbatis ipsius & cœnobarum aliquorum  
 desudauit industria: reuocata alicubi consuetudo con-  
 secrandorum luminum postridie Kalendas Februa-  
 rias: alibi restitutus vsus Litaniarum. Ceterum  
 antistes

antistes Herbipolitanus, quo Philosophia Theologiaque tradatur a Nostri animo liberiore, vestigal annuum aureorum millenorum decreto firmavit: ipseque identidem in nos se humanum, & munificum prabet: sed & magno ardet studio pietatis: clericum purgat: meretriculas ne cum clericis misceantur, eicit ex vrbe, perstrepeute pelui, immundarum in eas sordium concessio iactu. E iuuentute qua nobis dat operam, octo monasticam vitam ingressi.

## SPIRENSE COLLEGIVM.

**S**PIRAE septemdecim. Vanam eiecere opinionem, quam de religione imbibierant, homines triginta quinque. Vnius conuersionem quoniam plus habuit difficultatis, & spondet utilitatis, breuiter perstringam. Fuit is Ioannes Pistorius, ex cultu vir ingenio, & disciplinis fere omnibus pereruditus: magna tum apud multos auctoritate, tum gratia apud Marchionem Durlacensem, stirpe Badensium. Lutherum a pueritia sequebatur patrio instituto: eius leuitatem cum pensitat diligentius, contemnit: transfert se ad Caluini dolos astu magis reftos: sed eum Deus ad se vocabat: incidit in vnum e Nostri, euocatum a quodam Principe: communi utebantur diuersorio: & instituitur disputatio de religione: ea cum feruet, profert Pistorius locum beati Augustini: docetur a Nostro quomodo intelligendus, & qua trutina expendendi sancti patres: ex eo tempore multus ille in Catholicorum doctorum mo-  
numen-

numentis, incerta consilia voluendo: quoniam & parum uirium falsitas habet, & veritatis lux præstinguebat infirmitatem oculorum: erat uidelicet opus magistro, siue quod doceri uult Deus hominem ab homine, siue quod uia uox lectione efficacior, igitur biennio post, in alium incidit, cum quo biduum (idem enim iter uterque faciebat) interrogando, & respondendo consumpsit: nam (ut est sanctius & reuerentius de diuinis mysterijs credere quam scire) occurrebat semper quod quereretur, & laqueos dubitationum implicabat: sed tamen & ex ea colloquutione, & e missis postea per sepe litteris ultro citroque, nutare incepit, atque in Principis mensa cum esset, ab estis illicitis abstinere: quod erat omnibus mirum: denique, obstrepente licet segregum turba, apud Nostros sanctissimo die Pentecostes, pleno pectore, conuertit incensam linguam ad uitæ prioris detestationem, & ad laudes Dei. Eius porro tanta vis est in disputando, tantaque in Fide constantia, ut cum hæreticis quamlibet magni nominis per sepe ueniens in concertationem, nihil defendat quod non probet, nihil oppugnet quod non euertat: idem liberos ad scholas Societatis in Sequanos misit: & quo propius absit a Nostri, vicinum in oppidum Catholicorum, cum familia commigravit. Et iam bonus Fidei assertor scribit libros, quibus edendis rabularum mendacia refellat. Certe Princeps quidam, ex eadem Badensium origine, ut ab hoc uidit euictos suos corruptores Euangelij, eum statuit cum Smidelino magno clamatore hæreticorum committere: uter

uicerit

vicerit illius sententiam secuturus: & bene sperat  
 Pistorius, si stetur promissis. Veritas enim vinci  
 non potest. Saxo quidam miles rediens e Gallia, re  
 male gesta, frigore & fame enectus, in nobilis Ca-  
 tholici domum diuertit: hic cum agit animam, Lu-  
 theranum ministrum acciri iubet: hospes pius &  
 prudens adducit vnum e Nostris: qui ementitus ha-  
 bitu, eo paulatim agrum molli sermone deduxit, vt  
 Catholico ritu perciperet Sacramenta, paulo ante-  
 quam moreretur. Magnum præterea adiumentum  
 attulere socij veneficis, siue cum desperatione ia-  
 ctantur, siue, vt pœnas dent maleficij, cum conij-  
 ciuntur in ignem. In peruigilio Sanctissimæ Trini-  
 tatis vndecim, partim pueri, partim adulti, in tem-  
 plo nostro sollempni cærimonia baptizati. Sequenti  
 feria quinta Eucharistiæ sacra puellæ discentes do-  
 ctinam Christianam, inumbratæ viridantibus ser-  
 tis, cereos manu gestantes, præiuere sacrosancto  
 ferculo, magnifica pompa. Hæc Spira. Nam de ex-  
 cursionibus, & de Congregatione Deiparæ Virgi-  
 nis, quæ repeti possent cum superioribus annis com-  
 munia, quia notiora sunt, minus indigent stylo.

### COLLEGIVM FVL DENSE.

**C**OLLEGÆ vndetriginta. Scholæ non au-  
 ctæ illæ quidem numero, sed ventitantium  
 virtute: multi eorum darent se in Societatem, ni  
 votis parentes obsisterent, a Catholica religione  
 abhorrentes: vnus quidem vigintiquattuor ratio-  
 nes



nes scripto edidit, quibus se ad Societatem impelli testabatur, easque Sacerdoti nostro obtulit, tamquam obsides animi sui: it deinde in patriam: consilium aperit surdis parentibus: paulo post correptus morbo, ad eum qui voluntatem remuneratur pro facto, ut confidimus, euolauit: nec defuerunt tamen, qui, ut Deo famularentur, in canobia se receperunt: reliqui in Ecclesiasticis ritibus constantes, vel in propinquorum nobilium mensis ad vetitos cibos adigi non possunt. sed & puer in Quadragesima abstinentiæ ita tenax, ut cum agrotaret grauius, abnuerit iusculum quod porrigebatur, odore carniū obiecto. aliud quiddam accidit iuueni urbano: dederat hic operam Nostris in pueritia: Catholicam pietatem per transfenniam tantum aspexerat: discedit grandior a schola, ad Lutherum se tota mente conuertit: mox incidit in morbum, qui abstulit vitam: tum vero meliora respectans expetit Nostrorum congressum: ac primo quidem vni laico vix aditus permittitur: redit mox idem cum Sacerdote: sed neuter admittitur: & æger non verbis modo, a suis, sed etiam verberibus male acceptus moritur, salutarī proposito ad exitum non adducto. Etenim plerique Fuldensium ita sunt Nostris, quippe Catholica religionis instauratoribus insensi, ut non pauci, ne ab illis adiuuentur in extrema necessitate, malint more pecudum animam exhalare. quod si qui rebus non fluenibus ad voluntatem (ut sæpe vexatio dat intellectum) Nostrorum auxilio consilioque vtuntur, ridentur ut mente capti. Ex his non nemo decessit

cessit Catholico instructu . Et affirmavit Deus in  
 vno, quasi miraculo , minime errantem fidem: attri-  
 to erat iuuenis corpore e grauilapsu, vsu vocis amif-  
 so : eius pater ad nos pergit opem precationum ex-  
 poscens : vociferari interea vicini , contumelijs mi-  
 serum & conuicijs proscindere , esse videlicet con-  
 stringendum , nullum signum sani hominis habentem :  
 pertendit ille nihilominus fretus diuino Spiritu ,  
 quo incitabatur : bonum animum habere iubent  
 Nostri, deque filio nihil metuere : & suas Deo pre-  
 ces acceptas fuisse , consecuta paulo post egri incolu-  
 mitas declarauit : sic obstructa ora maledicentiu,  
 & grates ab homine Deo actæ . Elementa Christianæ  
 doctrine, insigni modulatione ( ea cõt illecebra  
 multorum ) traduntur faciliore iam progressu , &  
 successu meliore . Ea interdum Hebræi , si quando  
 incidunt , non aspernantur : fremuerunt sane hære-  
 tici principio , sed nunc tandem , tædio an pudore ,  
 quiescunt : etsi mulier quædam non fores modo do-  
 mus , sed & fenestras omnes obserare perhibetur ,  
 ne ipsius aures puerorum cantionibus verberentur .  
 festiuum illud . Pistor stomachans ad vocem can-  
 tantium , aliquos ex ijs verberauerat : non multo  
 post , pænitens facti , domum suam euocato cætu  
 puerili, candidos panes recentes singulis dedit: adeo,  
 si ex ijs quæ nunc fiunt , par est quid futurum sit in  
 posterum coniectare , confidere licet , ex hac pue-  
 rorum institutione , aliam aliquando ciuitatis spe-  
 ciem , & ciuium mentem futuram . Itum etiam in  
 pagos , eodem consilio , & lustrati sunt amplius vi-  
 ginti

ginti quattuor, eodem euentu: distributi Catechismi Rosariaque, viri cuiusdam nobilis liberalitate. Nunc alia videamus. Saxo iuuenis magna generis claritudine, a matre vidua huc erat missus, vt fratrem iam Catholicum ad Lutherum abduceret. Sed ex ea pugna Catholicus victor discessit, hæretico fratre ad Ecclesiam matrem conuerso. Suffraganeus Moguntini Episcopi cum huc iter faceret, magnam puerorum adulatorumque multitudinem in eade nostra sacro Chrismate confirmauit: res Collegij autem Etia piorum munificentia suburbano coempto: adiuuit maxime Abbas fundator, secundum hunc generosus dominus Ioannes Eustachius, a Westernach, a quo magna iamdiu multaue extiterunt in Societatem beneuolentiæ argumenta.

#### COLLEGIVM HEILIGENSTADIENSE.

**E** SEPTEMDECIM qui Heiligenstadij moratur, duo Erfurtum in Turingiam, totidem Hildesium in Saxoniam missi: vtriusque missionis capita rebus Collegij subnectentur. Igitur Heiligenstadij magnum spectaculum supplicantium, in nocte Parasceues, ad illustre Domini sepulcrum. Iubileum ferijs Pentecostes plurimorum aduentu, & confitentium multitudine celebratum. instituta alia supplicatio per aliquot dies ad stata templa, eius procuratio nostris demandata: visum: vt in principijs virgines veteri exemplo incederent: ea res hæreticis primo die sermonem dedit, spreuerunt ducentæ: postero die,

die, quasi iam non ageretur titulus religionis, sed uirginitatis ( neque enim admittebantur, nisi quæ interrogando uirgines esse reperirentur, & ex hæreticis etiam natæ se prioribus aggregabant ) numerata quingentæ . ibant omnes redimitæ fertis, Rosaria manu ferentes, agmine pulcherrimo : & inundauit templum tanta hominum multitudo, ut eo non caperentur. e fidei naufragio ad portum se rotulere sedecim, in his adolescentes duo, magna indole animi, & ingenij. Miles hinc in Galliam abiturus, non extulit pedem e porta, nisi præmunitus Ecclesiæ sacramentis. Et iuuenis vnus alioqui ferox atate, cum in Rauracis succubisset, ministrum hæreticum ad se accedentem, fortiter eiecit, quod fixum haberet in animo Catholice mori: redierunt alij ærumnis confecti, mortiq. proximi, & omnes Christiano fine vitam clauserunt: & quia oleo sacro inungendi corpora moribundorum lex antiqua iamdiu exoleuerat, eius vis cõprobata miraculo, tribus prope a funere receptis. Suffraganeus Moguntinus hic etiam impertiuit multis Confirmationis sacramentum: illustrauit carimoniam vrbis Prouinciæq. præfectus, vir nobilitate iuxta doctrinaq: excellens: is, quod natus inter hæreticos hoc bono caruerat, cum uxore, liberis, in magna procerum frequentia, obtulit se Episcopo sacro Chrismate imbuendum. Exequar nunc quiddam admirabile. Puella Catholica sed negligens, præ suis æqualibus, vani iurisiurandi, ad ceteram peruersitatem addiderat, ut Eucharistiam ferijs Paschalibus perciperet non ieiuna: Postridie in eam sagarum potentia

incu-

incubuit: igitur conflictabatur doloribus acerrimis, membris omnibus capta, trunco, quam homini similior: epilepsia horis singulis octies deciesue corripiebatur: abripiebatur interim inuisis manibus per domus abdita, nunc in summam, nunc in imam partem, nunc foras in atrium: diuq. quasita modo interclusa voce pendens ex arbore, modo obtorto collo, & pane elisis faucibus, suspensa in tigno, saxo super pectus imposito, morti proxima reperiebatur: post menses aliquot eius pater opem nostram implorat: iuncta cū precibus ieiunia: Christi imaginem puella inspicere iussa, appēsa eiusdem collo cerea imago agni cęlestis: irrita videlicet omnia: abdebat se tantisper callidus nocendi, dum resumptis viribus valentior appareret: ergo lustralem aquam in terram projicere, Christi imaginem discerpere, Sanctorum reliquias e pectore diuellere, earum thecas post aliquot dies ludibrij causa vel inanes reddere, vel repletas sordibus, ad extremum deinde ipsas reliquias: omnibus modis vitior insultabat: vnum supererat experimentum, vt deferretur ad vicinum montem, iam inde a Carolo Magno, Saxonię populis religiosissimum: quod contra hostium incursum, cęlestem ibi opem imperator optimus expertus esset: huc delata semel atque iterum publico sumptu: nec vana spes: omni vi victa veneficij, sanitati puella reddita est, auctaque religio sacri montis. Simili alienatione mentis per idem tempus in pago Lutherano rusticus laborabat, ex dolore videlicet corporis in furorem versus: illico opinio fuit a dęmone hominem obsideri: aduocan-

tur ministri, nihil agunt : tandem vir nobilis, in cuius ditione res gerebatur, miseratus rusticum, abscedere iussis Prædicantibus, hoc opus est, inquit, Iesuitarum. accersuntur Nostri, hac lege, ut ne tentetur curatio intra parietes templi, quod ipse profanauerat : verebatur nempe ne iterum Catholico more consecraretur : Noster, ut venit in pagum, comperit hominem non demonis arte, sed doloris immanitate torqueri : eum consolatur, hortaturque ad patientiam: quin & remedia pellendo morbo præscribit : ijs dum vititur ager, conualescit : nec ei quicquam iam grauius est, quam quod per pagi illius magistratus ad Catholicam religionem accedere non licet. Initia Christianæ legis exposita per pagos adiacentes, certatumque cum prauitate hæreticorum. Quodam in pago explicaturus Noster Catechismum, cum de more ordiretur a signo Crucis, ea res, propter insolentiam, tanto omnibus deridiculo fuit, ut circumfusa corona risum tolleret. hoc magis Noster facti causam aperit, ostenditque diaboli fraudem monumenta Crucis oblitterare cupientis : tantumque assiduitate profecit, ac diligentia, ut iam pauci sint pueri, qui conformationem Crucis, orationem dominicam, & salutationem Angelicam ignorent : & magna spes obtentat fore, ut pagani fere omnes conuertant se ad veritatem, a vanitate doctrinæ. Discipulorum rara virtutis & pudicitie exempla : vnus ab se procacem mulierem pugnis abegit. egit alter cū matre, ut impudicam feminā domo prohiberet: reliqua taceatur.

## ERFVRTI COMMORATIO.

**R**ECTE DICTVM, difficilius conuerti  
 mortalium animos, quam peruerti: adiuuat  
 procliuatatem naturæ illecebra consuetudinis: ita  
 spissum est negotium Erfurti homines ad Christum  
 reducere: sed non inutile omnino: nulla lux effluit  
 festa, quin aliqui communicent: Iubilei beneficio  
 vti voluere centum. die Cineraltiorum, esu Angeli-  
 ci panis, ad ieiunium quadraginta dierum compara-  
 runt se omnino decem: octo repulerunt errorem pra-  
 uarum opinionum, atque in his ludi magister: per-  
 nicioſa coniugum dissidia sublata. Cum autem miri-  
 fico Catholicorum studio, Sacerdos noster in aede pri-  
 maria, & in orba quadam parœcia verba facit, so-  
 ciusque in eodem versatur munere per pagos pro-  
 pinquos, admonetur Senatus a vicinis principibus  
 (hi sunt Lutherani omnes) caueat diligenter, ne  
 foueat in sinu angues, eijciat quamprimum Iesui-  
 tas, ne magis obsint, quo diutius commorantur.  
 ad ea Senatus, res suas sibi curæ esse, nec quic-  
 quam timeri periculi ab illis, in quorum vita ni-  
 hil vniquam repererit, quod reprehendat. Magna  
 hic ministrorum inter se dissidentium varietas: eam  
 Senatus vt tollat, edicto cavit, vt redeant in con-  
 cordiam, graui pœna in eum statuta, qui primus  
 aliquem conuictio laceſſat.

## MISSIO HILDESIENSIS.

**H**ILDESIVM inter magnæ Germaniæ  
 vrbes non postrema numeratur, vetere Epi-  
 scopio insignis. anno huius seculi vigesimo primo  
 armis ferroque vastata, octo oppida, arces duas &  
 viginti, pagos amisit circiter mille: ex his locis om-  
 nibus iamdiu exulat Catholica religio: ipsa quoque  
 vrbs, etsi paulo tardius, in Lutherum inclinavit.  
 Ex eo tempore profanata templa, claustra pudicitie  
 effracta, omnia iura diuina humanaque peruersa.  
 Clerus tantum adis maximæ mansit intactus: hic  
 etsi multa pertulit ab hæreticis, Cæsaris tamen au-  
 thoritate defensus est: donec tandem illustrissimum  
 Bauariæ Principem Hernestum moderatorem ascii-  
 nit: hinc paulisper hæreticorum repressa licentia.  
 Concionatore Catholico vtebantur clerici, viro in-  
 tegerrimo, & erudito: is cum fractus laboribus  
 oraret vacationem muneris, euocatus est ad ferias  
 natalitias presbyter Societatis: hunc, tantum abest,  
 vt confecto negotio dimiserint, de Collegio instituen-  
 do cogitarunt. Ea dum tenet consultatio, Noster  
 omnium, qua par est diligentia, seruire commodis  
 studet. auditur attente: & principio quidem lauda-  
 batur etiam ab hæreticis: sed cum ipsorum postea  
 Cathedra pestilentie desereretur ab auditorio, ad con-  
 uicia conuersi, solita videlicet arma, eum Antichri-  
 stum dicere, & probris omnibus lacerare. Sed is ta-  
 men exequitur munia Societatis, non omnino sine



fructu: aliquot in rectam viam adduxit: exeunti-  
 bus sollemne viaticum, & sacrosanctam vñtionem  
 nauiter impertijt: nec parua spes est, vt ope beatis-  
 simæ Virginis in cuius patrocinio olim diœcesis Hil-  
 desiensis, aperiatur ostium ad interiorem Saxoniam.  
 & excurrit aliquando Noster ad diuersa Virginum  
 cœnobia: si quod forte illis in medio nationis prauæ  
 posset auxilium afferre: inuenit plerasque, etsi a  
 Lutheri sectatoribus regantur, in recta fide perstan-  
 tes: hoc in itinere, comperit quiddam auditu me-  
 morabile. vno in cœnobio virgo quædam, intempe-  
 rantia linguæ, Catholicorum crudelitatem, & ritus  
 irridere, præcipue preces pro defunctis, ignem-  
 que purgantem: ad singula pene verba imprecari a  
 cælo fulmen illis, qui ista suaderent: castigabatur  
 interea verbis ab antistita, alijsque: sed muliebri  
 peruicacia obsurduerat: nec diu dilata vltio: illuxit  
 dies illi vltimus: & prædixit ipsa, timore insolito,  
 animo præsagiente: tertia hora post meridiem in-  
 gens cooritur tempestas, cum fulgure tonitruque:  
 eius metu virgines pariter ad templum concessere:  
 ibat & misera omnium postrema: sed cum esset in  
 Odei limine, in omnium conspectu cælesti fulmine  
 interempta est, afflato ornamento omni monastico,  
 plurimaque fuligine circa eius faciem aspersa: vt  
 quod imprecata erat Catholicis, in caput ipsius  
 verteretur.

## MOLSEMIENSE ET

Confluentinum Collegia.

**I**N MOLSEMIENSI Collegio sunt e  
 Nostris vnus & viginti, Catholicis perfrugio,  
 & solatio in rebus aduersis. Iubileum Pontificium  
 magno totius *Alsatie* consensu fructuque celebra-  
 tum. itum quoque, vt hoc bonum communicaretur  
 cum pluribus, in oppida vicina. Et quidem *Offem-*  
*burgum* (paret hoc *Casari* & religionem retinet aui-  
 tam) affluxere hominum quattuor millia. hic per-  
 inde, vt alijs multis in oppidis, instituta supplicatio  
 ad sanctiora templa, cœtu plurimo, ornatuque insi-  
 gni. De hostibus, qui in *Alsatiâ* irruerant su-  
 periore anno, etsi scriptum est proxime, non erit  
 absurdum quiddam reponere, quod vim habuit mi-  
 raculi. Eos inter, quos iuxta hospites hostesque ex-  
 perta est *Alsatia*, equitum alæ erat præfectus, ho-  
 mo Germanus, e *Lutheri* disciplina: is sua cum tur-  
 ma, quacumque ingrederetur, sacras vastabat æ-  
 des, non secus ac *Superis* bello indicto: & fuit, cum  
 quodam in templo, euersis altaribus, deletis deie-  
 ctisque imaginibus *Calitum*, sacrilega manu, equo-  
 rum stabula collocari iussit, quin & humari cada-  
 uer equi, vt adderet cumulum scelerei: sed sensit  
 deinde ultorem Deum. biduo post, quotquot in eius  
 turma erant equi, caelesti afflato sidere ad vnum in-  
 teriere. Hoc vbi vidit vnus e militibus adolescens  
 nobilis, qui nobis olim dederat operam, tyrocinio  
 se abruptit tam infandæ militiæ.

IN CONFLVENTINO vnde viginti. Antistes Trentrensis fundator auxit vestigal annuum : domicilium ad vsus nostros accommodum ædificat, iam primo lapide in eius fundamenta vite deiecto. sed & Iulia Montiumque Dux, pro cetera erga Societatem beneuolentia, cum hac iter haberet, cum vxore, Collegium nostrum sua presentia honestauit, exceptusque a discipulis nostris, suauis symphonia, & carmine non ineleganti. data ab eisdem fabula, hoc maiore laude actorum, quo celerius fuit properanda. Iuliacensis Princeps ad balneas proficiscens euocauit vnum e Nostri, quem haberet a concionibus: ex eoque effectum, vt inter lauacra corporis absterferint multorum animi sordes prauarum opinionum. In vrbe porro ipsa multi spiritualibus exercitationibus exculti. Sacrae Confessionis, Communionisque vsus frequentior: matrimonia incesta distracta. mulier ab amore adulteri ad maritum, altera a demonis consuetudine ad Ecclesiam reducta. Super hanc detestati vanitatem haeresim vnde viginti: adiuti pauperes, reique nocentes, & moribundi. Obita est voluntate Praesidis extrema diocesis, propter finitima contagia propior periculo. magnus fructus: maior haud dubie, nisi interuenisset belli calamitas. vbi ea detonuerit, iniecta incolis a Deo cupiditas, & a Nostri spes ostensa, longioris commorationis.

## COLLEGIVM MONASTERIENSE.

**M**ONASTERIVM, vrbs est veteris Saxoniae mediterranea. Minugardenorda olim, seu Mingroda, cui, Carolus Magnus, Westphaliae domitis, Christoque adiunctis, Lugderum praefecit, virum integerrimum: eam ob causam ade extructa, processu temporis ab Hermanno Episcopo inaedificatum ibi monasterium, templumque Deiparae sacrum: vnde & cognomentum vrbi, & conuenarum frequentia. Vrbs porro ipsa maiestate Cleri, dignitate magistratum, opulentia ciuium, priuatorum aedificiorum publicorumque magnificentia, percelebris: caelum saluberrimum, solum fertile: propterque opportunitatem finium Frisiae, & vicinas oras Balthici maris, multis commeantibus, magna comitas incolarum, morumque elegantia. Sed huc quoque peruasit procella anabaptistarum, ab anno huius seculi vigesimo tertio: nec defuit qui inuaderet dominationem: sed haec aliquando excussa Praesidis ductu: & Clerus restitutus: religio tamen non erat pura a Lutheri veneno: dum tandem vir aeternae memoriae Godefridus a Rasfeld Monasteriensis Decanus, diuino instinctu, duodecim millia tallerorum (etsi proximis litteris acceperam, redderamque numero paulo maiore) reliquit Collegio fundando: ac de Canonicorum assensu, immissi sumus in possessionem, Februario ineunte: constituti annui redditus aureorum millenum: ad instruendam domum pecunia seposita. sequenti Autumno, cum

resedisset paululum pestis, initia docendi facta, se-  
 nas classes addicentibus publicis magistris. Et mis-  
 sa erant dudum per diocesim ex omni disciplinarum  
 genere theorematum, cum indice librorum explican-  
 dorum, certo die indicto: is cum venit, matutinis  
 horis celebratum Sacrum in templo maximo, sua-  
 uissimo organorum musicorumque concentu: a quo  
 itum in gymnasium vetus ornatum peripetasmatis.  
 Vbi cum Rhetoricæ magister habuisset orationem di-  
 gnâ expectatione, consecuta concertatio de rebus  
 Theologicis. postridie, cum audita esset oratio Gra-  
 ca, Latinumque carmen incredibili voluptate: di-  
 sceptatum est de rebus ad politiores literas perti-  
 nentibus, more dialectico. Vtroque die iuvenes,  
 Collegij Germanici Romani olim alumni, magnum  
 ingenij specimen & doctrinæ dederunt: ab his prolu-  
 sionibus dedere in scholas nomina adolescentes om-  
 nino sexcenti, duplicaturi numerum, nisi obsisteret  
 metus pestilentia: docili omnes ingenio, propenso-  
 que ad pietatem: ut eorum indolè maxime delecte-  
 tur Clerus, spemque in ijs reponat futuri Semina-  
 rij: quin etiam domum laxiorem & opportuniorem  
 attribuit, quo Scholæ propediem transferentur. Ce-  
 terum non parua utilitas ciuibus, ad rectam religio-  
 nem, vitamque, adducendis. Anxit latitiam iu-  
 uenis Saxo, qui cum ex alio quodam oppido huc ac-  
 cessisset periculi faciendi de Nostrorum doctrina,  
 victus quidem, sed melior discessit: multa etiam in-  
 uecta in ritus Catholicos, ab ijs aliena, Nostrorum  
 studio sublata.

## SEDES PADERBORNENSIS.

DOMINICIS festisque diebus pomeri-  
 diana habetur concio, & Catecheseos sebo-  
 la, in ade maxima, fructu non pœnitendo: nam etsi  
 hæreticus blatero, etiam nunc in loco publico, per-  
 uertit plebem, ac propterea ad Nostros accedunt  
 minus multi, accedunt tamen nonnulli: accessuri  
 plures, nisi inanes rumusculos, & irrisum vulgi  
 vererentur. aliquot ex ijs imbuti ad Catholicam do-  
 ctrinam: ex eoque factum, vt expelleret mulier  
 demonem, quem iamdiu infestum habebat. nec de-  
 fuere, qui miserunt ad nos libros auctores falsorum  
 dogmatum igne cremandos. Qui munierunt se Sa-  
 cramentis Ecclesiasticis in templo nostro, vt nunc  
 quidem res est, non paruus numerus: censa capita  
 septingenta quinquaginta. Aditum etiam vicinum  
 oppidum, adiutumque concionibus, & disciplina  
 Christiana. Ceterum ad emendationem morum ni-  
 mium quantum valent iuuenes eruditi Romæ in Col-  
 legio Pontificio: eorum amor virtutis, & castita-  
 tis, conspectus præ ceteris: benevolentia erga nos  
 tanto illustrior, quanto alij plures insens. etsi illis  
 presentibus maledici iam quiescunt. Duobus in lo-  
 cis quam displiceat Deo hominum negligentia in die-  
 bus festis colendis, admirabili ostensum exemplo.  
 die beati Laurentij, quodam in oppido, sub terra  
 vnus argillam eruere aggressus, ruentis pondere ob-  
 rutus est. at die Apostolorum Petri & Pauli, cum  
 homines magno numero ad vicinos agros exissent,  
 causa

*causa operis, pagus eorum fere totus exorto incen-*  
*dio, ita subito deflagrauit, vt ante cognouerint re-*  
*daetas domos in cinerem, quam a flamma corre-*  
*ptas. Et excitari poterant his admonitis, nisi es-*  
*sent sine sensu: nempe spes fere omnis in iuuentute,*  
*que a nobis instituitur, præcipue in Parthenio So-*  
*dalitio: eius virtus quotidie illustrior: ex eo*  
*vnus in Societatem nostram adlectus:*  
*etsi aucti quoque Nostri, pia ami-*  
*corum liberalitate, vicina*  
*domo, cum antea ha-*  
*bitarent satis an-*  
*guste.*

P R O V I N C I A  
B E L G I C A .



CONSTITIT vniuersa Prouincia socijs ducentis septuaginta vno. Ex ijs Louanij fuere viginti quatuor, Tornaci & Leodij triceni octoni, vno minus Duaci, Audomari vndetriginta, Antuerpia nouemdecim, Bruggis Iprisque vndeni, Traiecti duodeviginti, Contraci duodecim, in missione Valencenensi sex, in Montensi quinque, septem in Gandanenst, in Castrensi quindecim, Bruxellis Sacerdos cum socijs duobus. Præter hos omnes, Pater Prouincialis cum altero Sacerdote & socio scholastico. In Societatem cooptati non minus triginta: e quibus septem missi Romam, tres in Germaniam: sed ex his in itinere ab hæreticis comprehensi duo, interfectique: super eos, alij tres mortem obiere.

COLLEGIUM LOVANIENSE.

IN SPIRITUALIBVS exercitijs tradendis, visendis xenodochijs, publicisque custodijs, reconciliandis dissidentibus, rudibus edocendis, de more laboratum. Tres a peruersa opinione deducti. De ijs, qui se Nostris instituendos in spiritu dederunt, hæc duo collocabuntur. Ad virginem arrepperat insidiator pudicitie: cum lacrimis certa-



ret illa, & clamoribus, nec proficeret quicquam, subito percussa ianua, quasi a quarente ingressum (qui tamen nullus comparuit) impudicum auertit, & Virginem seruauit. Quidam intempesta nocte, incertum qua ratione admonitus, hominem inopem agrumque iuit quasitum, prope pagum, in siluam, repertumque ad Sacerdotem proximum adduxit, eique ad extremum vsque spiritum omne caritatis officium prastitit. Gymnasium & Deiparae Sodalitium, multis licet aduersantibus, quotidiana capiunt incrementa.

### DOMVS PROBATIONIS

Tornacensis.

**I**NSIGNIS pietas vnus, qui Societatem hoc anno complexus, spectata est: tum aliquot ante annis, cum famulatus est illustri viro, in aula, vt eum adduceret ad nostros instruendum in vita, quem & adiuuerunt in morte: tum etiam apud hereticos captiuitate trimestri: a quibus varie tentatus, tandem incolumis dimissus. Formati sunt ad Nouitiatus morem Coadiutores ex varijs Collegijs (& pleriq. veterani) fere viginti quattuor. Doctrina Christiana exposita a tyronibus, vbi pueri puellaeq. erudiuntur, in vrbe separatim: hac ratione mulieres nonnullae meliorem vitam exorsa haereticorum aliquot filiae de parentibus triumphantes: ijs interdictum a magistratu, ne filias ad Catholicum catechismum arceant accessu. Vna renitenti parenti Deo quam hominibus

nibus obedire bonum esse respondit, nec vltimum recusaturam supplicium, dum Catholica moreretur. Sex præterea canobium virginum ingressæ. Habentur etiam conciones in vrbe pagisque a veteranis sacerdotibus: ea res grata approbataque Episcopo, cuius magna erga nos beneuolentia: vincti ægrotique adiuti. vnus ex his nauta hæresim triginta annorum eiuravit sine vita propinquo. Mulieres aliquot, ex infami vita & sollicitudinibus anxia, erepta. Apud milites etiam positus labor. Religiosæ familiæ perfuga ad Christi castra reductus. Exacturos domo pellicem polliciti duo. Quinque aut sex Galliam Angliamque peruagati, restituti in fidem, quam deseruerant. Nouem commentationibus rerum diuinarum instructi.

COLLEGIVM AV DOMARENSE.

**H**IC AD Humanitatem informantur per totam provinciam mittendi magistri. Discipuli ad nos ventitant circiter sexcenti. e lectissimis constat Congregatio: ex eo numero segregati ad Dei famulatum viginti: nec ingrata numini adolescentium religio: sine vllius noxa scholæ collapsæ: hinc afflictæ res nostra domestica: & si sacra aucta non mediocriter, mille septingentorum florenorum impensa. Generales confessiones, vt de reliquis taceam Sacerdotibus, ab vno exceptæ sexaginta: consecuta morum emendatio. Vir de extremis secum agitans, admonente vno de Nostris, consilium moriendi abiiecit, & gladium

gladium quem parauerat. Alter maxore contabe-  
scens, & infirmitate corporis, post confessionem  
conualuit. Mulier quam prodigenia mariti ad con-  
tinuam tristitiam, demonis versutia, ferrum, re-  
stem, præcipitium, subinde ostentantis, ad despera-  
tionem adegerat, eodem remedio liberata. e diutur-  
nis fluctibus prauarum opinionum vir nobilis ad Ca-  
tholicos emerfit. idem fecerunt alij duo. Ex his al-  
terum, Scotum hominem adolescentem, rumor est  
eius rei causa in vincula coniectum. Explanatur in  
pagis doctrina Christiana. Ea cum hic mis asperita-  
te fuisset intermissa, reuocata est, incredibili studio  
paganorum, Vere appetente.

### COLLEGIUM DVACENSE.

**C**ONCESSIT e vita frater vnus rei dome-  
sticae administer, cuius virtutes permultos  
annos quibus in Societate vixit, habuerunt spa-  
tium exemplorum: præcipue obedientia, in qua ex-  
celluit. Captum consilium, vt post Philosophicum  
curriculum, docturi Philosophiam, aut ad Theolo-  
giã promouendi, domesticis exercitationibus perdu-  
cantur ad perfectiorem scientiam, & addiscant Ma-  
thematicam, hoc anno impleri cæptum. Super con-  
ciones iam vsu receptas, viginti ferme locis in vrbe  
forisque explicatus Catechismus: & ad idem præ-  
standum nonnulli curiones inducti. Qui domi nostræ  
excoluerunt animam meditationibus pijs, toto anno  
assidui suere: in eorum vtilitatem qui nosocomijs car-  
cere

cereve attinebantur, aliquid effectum. Et mulieres  
 aliquot obstinatæ, paulo antequam expirarent, ad pœni-  
 tentiã adductæ. inter multos gratia recollecta: in his  
 quidam immodicus lingua, crebro sermone magistrũ  
 lacerabat: ad quem venit gratia confessionis. Mulier  
 quedam venenum diluerat in remedium calamita-  
 tum: cum haurire parat, impelli visa a tergo, ea vi, vt  
 excideret manu mortiferum poculum, quod ori ad-  
 mouerat: tum vero mentem ad meliora composuit:  
 mulieres a turpi mercatura, a pellicatu, ab incestu  
 etiam, abstractæ nonnullæ: illiciti contractus rescis-  
 si: in duobus virginum cœnobij, effectum, vt eluceat  
 exemplum religionis. Domum viri nobilis ex occa-  
 sione Nostri frequentabant, interea ibi omnia tran-  
 quilla: vbi nulla fuit causa adeundi, res turbidæ a dæ-  
 monum terriculis: it trepida ad Collegium materfa-  
 milias, vnique Sacerdoti. Vestro, inquit, discessu pa-  
 oem abstulistis: infestamur a dæmone: persuasit ille  
 totius familiæ confessionem, frequentem Crucis vsur-  
 pationem, & aquæ lustralis: pax reddita. Mulier una  
 exijs quæ celebrant nostrum templum, impurum  
 hominem a quo pelliciebatur ad flagitium, eo percu-  
 lit fulmine verborum, vt supplex ille ad pedes acci-  
 deret, veniam petens. magna piorum erga Nostros  
 liberalitas, vt cum veltigal domesticum vix quinde-  
 cim sustentandis sufficiat, alantur ad quadraginta:  
 huc pertinet sacrum instrumentum auctum, ab illu-  
 stri matrona, mille florenorum æstimatione. ad scho-  
 las venitant, adolescentes circiter nongenti: ex his  
 nobiles multi: tanta existimatio discipline, vt eius  
 causa

causa vel e Gallia conuenerint . Ceterum ipsi iuue-  
 nes constantes, nullis nec cohortationibus, nec pro-  
 missis, ad aliorum gymnasium adducuntur: & inuen-  
 tus non nemo, qui parenti rescripserit, priusquam  
 Nostros relinquat, multam se salutem dicturum stu-  
 dio litterarum. Philopicae theses, magno apparatu,  
 confessuque Cameracensis, Atrebatensis, Tornacen-  
 sis antistitum, & aliorum nobilium, quater defensa:  
 reuerendus Abbas sancti Vedasti sic delectatus  
 est vnius fratris e Nostris eruditione, & modestia,  
 ut magno se honore affectum fuisse diceret, quod es-  
 set inuitatus, & ad adificationem templi quadringen-  
 tos florenos liberaliter conferret. Ceterum spectata  
 pietas iuuentutis, cum & prosecuti Eucharistiam  
 annue, sario ritu, pompa magnifica: & indulgentia  
 plenarie consequenda, adierunt templa, praeserentes  
 vexillum Crucis instructo agmine magistris comi-  
 tantibus: habuit utrumq. iucundam admirationem.  
 E plurimis, qui Societatem deposcebant, octodecim  
 admissi. Schola Theologica, iam ab ipsius Collegij  
 iniurijs instituta, hoc anno noua discipulorum accessio-  
 ne, & docendi forma, melior effecta. Subleuati, ut  
 alias, iuuenes studiosi, quos adiuuare eorum paren-  
 tes vel propter haeresim nolunt, vel propter ino-  
 piam non possunt. Studium instruendi rudiores ad  
 res Fidei a nostris discipulis non intermittitur. Et  
 gausus est vir nobilis cum in duos incidit, quorum  
 alter oues agebat, altero opilionem docente.

## COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

**V**ERNI ieiunij singulis diebus conciones habitæ duobus locis: persuasum optimis, ut lupanaria clauderentur, vel in extremam urbem amandarentur. dux induerunt castiorem mentem. septem a lenonibus diuulsa. aleatorum, mimorum, circulatorum colluuiæ eiecta. sedata inter multos, & patrem inter & filium, dissidia. Vnus persecutionem vulneris, alter actionem litis, rogati a Nostris, abiocerunt: eum a se honorem Societati habitum dictitantes. Vno e Nostris deprecante, septem hominibus capitalis pœna remissa: quinque, restis, pœne obliſo collo, e manibus detracta. Renuntiauit quidam Ecclesiastico beneficio, quod non satis bona fide obtinebat. Decem infantibus baptisimus, negatus licet dilatus ve callide a parentibus, opportune tributus. ab hæresi se receperunt fere centum. ex horum numero vnus, in proximum suis adibus templum, pedem numquam penetrauerat: ubi primum Nostrum ingressus, curiose lustrauit oculis omnia, sic mutatus est animus, ut auctor & dux fuerit vniuersæ familiæ ad fidem Catholicam capessendam. Mulier in hæreticum maritum consenserat, eo consilio, ut ipsum Ecclesiæ restitueret, felici euentu: sic prorsus, ut vir moriens, prolem quam ex ea susceperat, ex asse instituerit heredem: alijs liberis, hanc ob causam, quod obstinati essent in hæresi, silentio transmissis. Vna item mulier, atque altera, flagitiosa cupidinem vitæ obtendentes hære-

seos velo, angebantur stimulis conscientiae; adeo, ut vitam pertæsa, crebra hac sectione venarum, illa sumptione veneni festinarent mortem: utrique Dei misericordia melius est factum. Virgo, cum durius a suis tractaretur, ut eos vicissim afficeret aliqua molestia, desciuit in religionis negligentiam, sic tamen, ut seruaret pudicitiam: hanc quoque Deus respexit. Virgo altera a pio curione sic erat instituta, ut ne inficeret quidem animum subturpis cogitatio: iam proinde secura, cum in multorum se familiaritatem immersisset, absorbebatur vortice: pudori tantum parcebat, pudoris metu: Caluini libris inhærebat interdum, noctu inuigilabat: igitur contemptu magis, quam obliuione, abolito voto castitatis quo tenebatur obstricta, maritum querit, & inuenit: atque, ut mos est ijs, qui non obstiterere flamma existenti, sic incensa est amore nuptiarum, ut raperet potius virum ad Sacerdotem non ferens moram, quam duceretur ipsa: ad dictam diem uterque coniux se sistit: cum in concipienda, ut fit, stipulatione, interrogaretur sponsa, non diuidit labra, tacet, mirantibus cunctis, in tam cupido pectore, oris silentium, nisi forte letitia inundante: instant, ut respondeat, nihilo minus elinguis: conscientia primum, mox diuina ultio clauserat vocem: neque adeo per integrum mensem mittere ullam potuit, nisi post renouatum votum castitatis. ea re comperta, sponsus pernicax iræ, ruere ad terrorem & minas, se se demoni deuouere. Sed eius quoque animum Deus ita mitigauit, ut Nostriis coram diabolum eiu-  
raret,

raret, gratulansque virginem prosequeretur, cum in sacrarum penetrale virginum se inclusit, ut Christo animarum sponso liberius deseruiret. Ceterum de liberatis agrotatione corporibus, agritudine animis, nocturnisque fugatis lemuribus, quia communia, sileantur. Confessionum generalium, ut in vrbe receptrice olim haresum, vsus & fructus quam maximus. Vnus de Nostris octiduo trecenas excepit, ut fiat de ceteris totoque anno coniectura. Sacerdos vnus externus Societatem nostram allatrās, luxu perditus, exulare iussus, exuta persona ad hæreticorum lustra se contulit, illegitimis nuptijs sacrilegio contractis. Vnius e Nostris Sacerdotis sacrorum primitiæ, magnum spectaculum præbuerunt: longæius ipsius pater sacrum apparatus omnem altari, Sacerdoti, sacrificio, obtulit, opere magnifico: dein e filij manibus, ipse cum coniuge, familia, cognatione, longo amicorum agmine, diuinum epulum cepit: eoque die cum famulo apud nos pransus in Collegio, sumptuosum conuiuium in diem posterum reseruauit. Sacra hebdomada spectatissima fuit supplicatio. Viri duodecim supra centum, in seipos verberibus seuiantes, ex ade nostra dimissi, ad eamque reuersi: addidere speciem viginti quattuor adolescentes e schola Angelico ornatu, sanctissimæ Crucis mysteria, seu lumina præferentes: nec deerat musicus concentus. Crux ingens portabatur a nationis Italicæ magistratibus, Consules appellant: cereorum numerus, decem duodecimve ponderis, iustæ quadræ, pia videlicet pom-



pa, & splendida. Magnum Episcopi erga nos Studium: Sacra fecit in templo nostro frequenter, saepe diuinas epulas, sacros ordines semel atque iterum impertijt. nec minor humanitas Apostolici Nuntij: apud Nostros diuersari voluit, omni familia in alias aedes dimissa. Parthenia Sodalitatis mira religio, eniuit proxime octidwana comprecatione apud Episcopium, cum seruatis horarum vicibus, alijs alijs succederent. quod etiam, semel hoc anno, eadem carimonia, in nostro factum est templo.

### COLLEGIUM LEODIENSE.

**E**ST HIC eorum Seminarium, qui explicatis officijs hominis Christiani informantur ad confessiones excipiendas: & ad varia munia Societatis, Proministri nomine, paulatim exercentur. Obijt Pater Franciscus Vafreus Anglus, aliquot annis in Societate versatus, sine vlla querela. Quae extremo anno proximo caepa erat appendix templi, hoc anno ad fastigium perducta. addita donaria multa, nec vilia. Sacra obeuntium mysteria maior multitudo, quam pro numero Sacerdotum. Vnus ex his, ne omnes persequare, audiuit confitentes de totius vitae culpis minimum sexaginta. Mulier, ob sacrilegia, occultaque flagitia, mortem sibi consciscere, eiusque causam litterate perscriptam, relinquere statuerat, non sine infamia multorum: Sacerdos vnus e Nostri rem subodoratus, remouit illam a sententia, & ad meliora conuertit. Simile  
exem-

exemplum viri cuiusdam, qui inclinans ad hæresim,  
 per scelerum abrupta ad magicas cantiones, & ve-  
 neficia, demum ad familiaritatem demonis descen-  
 derat. & agnoscebat interdum magnitudinem cul-  
 pæ, sed minaci vultu diabolus pœnitentiam dissua-  
 debat, ostentabat potius laqueum, miseriarum re-  
 medium, & finem: adimebat vires, vt Crucis si-  
 gnum efformare non posset: cum occurrisset vni e  
 Nostris, recepto, vt potuit, spiritu, contentaque  
 voce: Mi pater, inquit, hi sunt hæresios fructus.  
 tum, erumpentibus lacrimis: At tu ne desere ho-  
 minem, cui nec viuere libet, nec mori licet cum  
 Dei offensa. audiuit illum Sacerdos, simulque pec-  
 catorum, & diaboli vinculis exoluit. Exceptæ con-  
 fessiones virorum, qui in Cœnobio se Deo consecra-  
 runt, vniuersorum, vniuersa: magna hinc illorum  
 vtilitas, & in Societatem benevolentia, cui prius  
 erant infensi. Adiuti etiam, quibus maleficiorum  
 turpitude fuit morte luenda. Vnus ex ijs, hæsitans  
 in Fide, vt erat dicacior natura, & ne inter seriu  
 quidem risu satis temperans, victus Sacerdotis no-  
 stri perseverantia manus dedit, concubinam, quæ in  
 eodem erat carcere, ad emendatiorem vitam accen-  
 dit. ipse postridie, Sacris Christianis instructus, exul-  
 tans gaudio, vt suspicionem afferret multis amen-  
 tia, admonens obuios in itinere, vt vel suo exem-  
 plo abstinerent a muliercularum consuetudine, Deo-  
 que gratus agens, qui ab se facinosum hominem  
 non reiecerat, ita fortiter diem extremum imple-  
 uit, vt in admirationem verterit misericordia. alte-

ri cum ex Senatusconsulto, dextera primum, dein caput, lenis ictibus pracidendum esset, ad singula vulnera visum sibi ex inimis visceribus pugionem eximi facebatur; adhortantibus, ut aequo animo supplicium ferret, inmo & libenti, inquit, quod aditum aperit ad aeternam vitam. alius, prouecta iam senectute, equo rehebatur ad paribulum, incidit forte in hominem, in quem maxime peccauerat, desilit statim, ei se ad pedes abijcit, multisque cum lacrimis, & miserabili eiulatu, ut det veniam petit: tum animaduertens vdos oculos deducientium: Istis, inquit, fletibus, non miseram meam mortem prosequimini, sed indecoram vitam. Fratres germani duo, affines eiusdem culpæ, agebantur ad pœnam; ea animi magnitudine, ut ipsi carnifici admirationi iuxta & miserationi essent. Centenas habere optabant vitas, ut omnes impenderent Deo, quem toties offenderant: orabantque exactorem supplicij, ut, cum eos intelligeret altissimo Dei timore defixos, mortem afferret, nempe publice sic interfecti, omnibus, viuendi exemplo, moriendi documento fuere. Paria aliquot non virorum modo, sed & familiarum reconciliata, & imminentes cædes auersæ. Catechismus duodecim fere locis explicatus in vrbe cum fructu. Scholæ suam obtinent. discipuli fere sexcenti. dederunt actionem elegantem & illustrem, magna serenissimi Principis voluptate. Ad eorum exemplum Sodalitas maior etiam instituta, virorum flore & nobilitate non infrequens. sunt & qui tertiam Latine nescientibus exposcant:

MISSIONES IN ALIQUOT OPPIDA  
Leodiensis dioceseos.

**G**ASCICA oppidum est ad Mosan, magna iam pridem opinionum, morumq. pravitate. Huc Herneſti illuſtriſſimi principis rogatu miſſi Sacerdotes duo, rem tentarunt cū ſpe profectus melioris. Exorſi a teneſiore etate, tripartitam puerorū multitudinem, quotidie certis horis erudierunt: noua res viſa, & accepta primoribus, qui nunquā non aderant. Ea cauſa fuit, cur ſolum verteret ludi magiſter: honeſtarum hic profeſſionem artium malis moribus corruerat. Sub Chriſti anafſaſim plus duo hominum millia Sacramentis ſe expiarunt: emendarunt hæreſim nonnulli, plures vitam turpiorem. Vetus deſertor cœnobij ( aberat iam annum duodecimum) fidem dedit rediturum, vnde diſceſſerat. Data opera vt cœmeterium profanatum per annos amplius viginti, & Confirmationis Sacramentum, quod ignotum antea erat, ex neglecto in integrum reſtituerentur. actum de mortuis, Catholico ritu, qui iam exoleuerat, ſepeliendis. Ita prætorio editto cautum, ne quis curionum iniuſſu ſacræ terræ manuletur. meridiana campanæ pulſus, admonitor precum ad memoriam Chriſti crucifixi, poſtliminio renocatus. Libelli iuuenum, inanes & inutiles, cum bonis mutati: altaria conſecta ſitu ac ſordibus, elegantibus picturis inſtaurata. Extrema Vnctio, cuius uſus pene abierat, reducta. Rogationum diebus ( hæc quoque res ex longo interuallo deſueta erat ) maxima populi fre-

quentia supplicatum, ternisque concionibus disputa-  
 tum de inuocatione Sanctorum. Festo die Christi  
 ascendentis, cuius cerimonia dudum erat intermissa,  
 quinquaginta caelesti pane refecti. De Missæ sacrifi-  
 cio, de Indulgentiis, de Romani Pontificis auctori-  
 tate, serio & frequenter pro suggestu tractatum, ut  
 iam frequententur templa, ad sollemnia Pontecostes,  
 consequendæ indulgentiæ, communicarint centum  
 quinquaginta, Pontificium denique nomen magnam  
 habeat venerationem. Rosariorum ingenti numero,  
 in omne hominum genus, promiscue distributo, reui-  
 xit orandi formula, quæ videbatur extincta. Magni  
 deinde spectaculi fuit insigni apparatu illustris Eu-  
 charistiæ pompa: diuites admoniti non pepercerunt  
 impensæ: faces prælatæ plurimæ, per conueltas ta-  
 petibus vias, distinctas aris & argento: splendorem  
 auxit magistratuum cultus, armatorum incessus,  
 strepitus tormentorum bellicorum, Musicorum  
 concentus: ad iuncta in primis de sacræ Eucharis-  
 tiæ auctoritate, a pueris non pueriliter data. Ea Ga-  
 seicæ videntur iacta semina pietatis. Adierunt &  
 vicinum oppidulum, curaruntque, ut Sacramentum  
 Confirmationis impartiretur hominibus quingentis:  
 populus concionibus edoctus, bonus institutor (is est  
 sacerdotio præditus) iuuentuti præfectus. Cum duce-  
 retur quidam ad supplicium, Nostris deducenibus,  
 magnam significationem dedit in Deum eximia vo-  
 luntatis. Visus est dignus, cui pœna grauissima (erat  
 agendus in rotam) cum mitiore mutaretur: corpus-  
 que donatum ecclesiastica sepultura. Igitur bimestris  
 fuit

fuit missio, nec inutilis: sub finem anni repeti. & longius protrahi placuit. sub ferias natalitias centum communicarunt. persuasum multis, vt ne Sabbato contra ius fasque carnibus vescantur: vt festis diebus, integro sacrificio Missæ, vsque ad missionem intersint: alioqui a consecratione statim pene omnes labebantur: nonnullis, vt castitatem anteponan matrimonio: pauperibus denique, ægrotisque, in carcere, & nosocomio, de more consultum. Hæ eorum officia sic, vel ipsis aduersarijs, probata sunt, vt vel inuiti nostrum institutum laudare cogantur. Et certe, paulo ante Nostrorum aduentum, longe lateque excitato tumultu, ex hoc oppido Catholici erant eijciendi: eorum presentia motum omnem sedauit. in adolescentibus instruendis, non ita docilibus, magnus labor: & Christi nascentis historiam publice egerunt omnibus approbantibus. Has ob res utilis huic populo fuit Nostrorum commoratio, & discessus iniucundus.

### COLLEGIUM BRVGENSE.

**E**X AVLA Serenissimi Parmensis, vicinisque circa præsijs militaribus, in quibus informandis Nostrum Galli, Germani, Angli, Itali, Hispanique elaborarunt, magnus animorum fructus. a scelere plurimi, ab hæresi reuocati non pauci. Sacramenta in nostro templo obeuntur a multis. peccatorum sarcinam vniuersæ vitæ per confessionem deposuere triginta. concio celebris in æde maxima, eadem-

eademque perutilis fuit . fugitium argentum retra-  
 ctum ad dominos . pietatis studium in multorum pe-  
 ctoribus excitatum . ad virgines Deo sacras exhor-  
 tationes habitæ , duobus locis , non mediocri emolu-  
 mento . Catechismi explicatio , prima Dominica  
 Adventus , admirabili antistitis , publicique magi-  
 stratus studio , instituta est , in eos qui adire negligere-  
 rent pœna indicta . Dei matris Congregatio facta  
 nunc maior discipulorum multitudine , & , dato vno  
 atque altero ingeniorum specimine , frequenti in co-  
 rona virorum principum , illustrior . Insigne in san-  
 ctiore hebdomada adornatum a Nostris Domini se-  
 pulcrum , quo ipsemet Dux Serenissimus , & omnis  
 Nobilitas venerabunda confluit . quadringentis  
 florenis constitit amicorum impensa . Scholis nostris  
 fauetur ab vrbis magistratu : ab eo , in apparatus  
 scenæ , cum danda esset comœdia , tributis floreni cen-  
 tum : ducenti deinde cum quarta gymnasio classis  
 fuisset addita . aucta præterea res domestica flore-  
 nis mille , sacra trecentis . His rebus adeo latis a-  
 sperit aliquid molestiæ , cum incidisset frater vnus  
 e Nostris in hostium manus , ab ijsque fuisset ad  
 castra perductus : quamquam eius spectata omni-  
 bus fuit , & in agendo modestia , & in responden-  
 do prudentia : sed cum breui duorum militum per-  
 mutatione fuisset redditus , eo maior fuit gratulatio ,  
 quo ipse propior periculo videbatur .

## COLLEGIUM TRAIECTENSE.

**E** CONCIONVM semente diuersis in locis multiplex messis. præter insignem in militibus vitæ mutationem, Confessiones generales audite amplius centum. aduocamur certatim a moribundis, mortem hac ratione æquiore animo laturis, inuisitur carcer, non sine lucro: nosocomium non sine periculo: sed, Deo protegente, abest damnum, & præponderat fructus. Anicula quadam, narrat se, vbi primum confiteri constituit, venum dolore liberatam: ad recuperatam valetudinem corporis, etiam animæ adiecit: filiam deinde magno natu, & mulieres nonnullas, ad idem faciendum adduxit. Muliercule sex a meretricio abductæ. Sodalitas Virginis sanctissimæ viris & virtutibus in dies augetur. Ex hac miles quidam Italus, cum ob nescio quod maleficiū, actus esset in furcam, & carnifex suum officium fecisset, recedentibus omnibus, cecidit fune dirupto. cum accursus esset, & comperitum superesse aliquid in corpore spiritus, in recreanda defectioe laboratum est amplius hora: donec tandem reddita miranti mens, mox etiam vita donata: haud dubie Deiparæ beneficio, quam in mira semper habuit obseruantia.

## MISSIO AQUISGRANENSIS.

**A**NTE ANNOS octo duo e nostris Sacerdotibus Aquisgrani versabantur, magna Catho-



Catholicorum utilitate, maiore hereticorum invidia. Sed & ipsi, & eorum hospes, primariae Ecclesiae beatae Virginis Decanus, exire coacti. hinc in praecipuum ruerunt honorum fides, & multorum perfidia valescere. Visum Nostri, ut in re desperata, tentare ecquid fieri posset, nomine excursionis. Ierunt Sacerdotes duo. Concionibus Catholicorum animi erecti. sed repente, ut latos successus saepe, etiam amici, agris oculis intuentur, cum omne concionantibus negatum esset templum, exorari se passus est a quibusdam Catholicis Cœnobiarcha Augustinianus, ut id in suo fieri liceret. tum primores civitatis ab illustrissimo Iulia Duce impetrarunt Nostri commodato sacram ad eum pertinebat iure patronatus: missisque ad Praepositum Prouincialem litteris obtinuerunt aliquot mensium commorationem. mirum deinde quibus officijs studiisque Nostros prosequantur. Et si hoc quoque, quibus non debebat, an quia ubi anteuenit dignatio, eorum etiam, quibus fauemus, emulationem parit? nonnullam mouit inuidiam. Opportune vero cecidit, ut quo die Nostri in eadem illam Sancto Euliano sacram sunt inducti; eo die, Calvinista, operosum templum, quod instruxerant, habenda concione, cogendaque multitudine inaugurare statuerent: sed abiecerunt animos, cum plurimi conuenissent ad Nostros, ipsique fuissent ne conuenticulum agerent vllum, Senatusconsulto prohibiti. Hinc Catholicorum scholae lustratae, distributi Catechismi. praemia diligentioribus constituta. Certi  
 praesi-

præfiniti pueris dies ad Christiana elementa perdi-  
 scenda: ab eoque opere complures, nec muneribus  
 abducti, nec minis deterriti. quamquam & con-  
 fluunt grandiores permulti, nunc tandem quæ vita  
 sit Christianorum, quæ disciplina, pernoscere gratu-  
 lantes. Vix credibilis omnium diligentia. eam auxit  
 duplex Sodalitium Virginis, maiorum (in eo iam  
 septuaginta viri lectissimi) minorumque: hi qua-  
 draginta censentur: congregantur dominicis festisq.  
 diebus ad sacras colloquutiones precesque pomeri-  
 dianas Deo persoluendas. amulantur mulieres simi-  
 lem pietatem, & patrocinium Regine Angelorum  
 sibi deposcunt, recitando Rosario: quin etiam sub  
 initium cuiusque mensis, rite communicant. ab hæ-  
 resi reuocati septem: non paruus numerus in ea vr-  
 be, vbi hæretici dominantur, fenebres contractus  
 aboliti. libri hæreticorum exusti: oclusum iter pec-  
 catis, ne incubarent mortalium animis, & impera-  
 tus egressus. magna vis sacrarum hostiarum, quæ  
 asseruabantur loco minus decenti, dispensata reue-  
 renter: in ferijs beati Laurentij, cuius in hac vrbe  
 visitur templum, actum frequenti concione de bo-  
 nore reliquijs Sanctorum habendo: assensum populi  
 demonstravit, venerantium, & Rosarijs libellis que  
 attingere cupientium, quod venerabantur, accur-  
 sus. Cum vocati essent Nostri, in Catholici do-  
 mum, viri nobilis, ad diem certum, cum hæreticis  
 ineunda disputationi, non neglexerunt. Sed cum  
 multa cauillati essent aduersarij, Nostri satageni-  
 bus, ita frigere cœperunt, vt deridiculo essent. Igi-

tur plerique ciues Societatem amant, fouentque: dataque ad Nuntium Apostolicum epistola, uehementer urgent, vt hic Collegium statuere liceat, futurum multorum saluti.

IPRENSE ET CORTRACENSE  
Collegia cum Sede Gandauensi.

**I**PRIS, temporum difficultas ciuium erga nos liberalitatem fecit illustriorem. nempe edificari ceptum est templum, & maiore ex parte perfectum. Prioratus, quem Gregorius tertiusdecimus Pontifex maximus collegio addixerat, obtigit nobis hoc anno. Is etiam permagno fuit leuamento. quarta classis ad scholas accessit: in quibus iuentus, etsi exigua propter belli tumultus, dedit in scena specimen ingenij non paruum: representata est Samaria famas, incredibili cum plausu: ex eo numero nonnulli, vt Christum vocantem sequerentur, arctiorem viam ingressi. Exercitijs spiritualibus aliquot formati: ex duobus cœnobijs, collatis rebus in commune, exturbatum ius proprietatis. Totius vitæ confessiones plurimæ exceptæ. multa dominis restituta. doctrina Christiana prisco more pueris tradita. in nosocomijs, & carcere, multorum necessitudini subuentum. quidam certus relinquendæ vitæ, alter in cuius corpore malus dæmon inusserat notas, melius sibi consulere iussi. mulier furiosa & venefica a diaboli spectris & insidijs liberata. complurium dissidia

recon-

reconciliata. hæresim detestati non pauci. libri hæretici inflammati. miles externus, cuius mores ita peregrinabantur in religione Christiana, ut ne Sacramentorum quidem nomen umquam fando accepisset, morti cum esset proximus, auditus, adiutusque ut Catholice vitam finiret. Virgines quadam presidio agni caelestis in consecrata cera procacitatem militum vicisse perhibentur. alij, quas res abdididerant seposuerantve cum munimine eiusdem agni, eas integras repererunt, cum reliquas, lares (ut vocant) domestici, militibus ostenderent, ut diriperentur. In vicinis etiam oppidis frugifer fuit nostrorum labor. Furnis (maritimi est oppidi nomē) tempore sacri Adventus, & Quadragesima, quotidiana conciones habita: itaque correcti & reformati mores hominum longa consuetudine corrupti deprauatique, ut is stimulus fuerit omnibus, ad Collegium Societatis communi consensu efflagitandum.

CORTRACI schola augetur discipulorum numero, & illustrantur profectu. Expositus in scena apparatus Sanctæ Cæcilie triumphus, heroico versu, splendidisque sententijs: datus plausus actoribus iuxta, poetæque frequentissimo theatro. e concionibus doctrinaque Christiana fructuum ubertas, quæ annis superioribus, odia multorum repressa, fluctuantes in fide, & in vocatione firmati. vnus a voluntaria cæde prohibitus. egroti vincitque, & stationarij etiam milites, adiuti pro munere & consuetudine Societatis. Vterque cætus sub patrocini-

nio Mariæ Virginis, magnos profectus habet. Et maiorum quidem, ciuibus, minorum vero, condiscipulis, præluceat exemplo.

**G A N D A V I** confitentium numerus maior quam alijs annis: reliqua vſitata: retinet magistratus ſuam erga nos liberalitatem, ac beneuolentiam: nunc ſacrarium ad ædis noſtræ vſum magnis ſumptibus accommodat. Episcopus, biduo antequam moreretur, Monasterij cuiusdam prouentus nobis attribuit: tranquillioribus rebus trecenti aurei ſperantur. Vir nobilis futuro Collegio aſſignauit duodecim agri iugera. alij alia beneficia parturiunt.

### MISSIONES VALENCENENSIS & Bruxellensis cum ſede Montenii.

**V A L E N C E N E N S I S** crimina vel a prima pueritia aperuerunt homines circiter triginta: amplius ducenti, quot Kalendis, ſacroſancta obeunt myſteria. in noſocomio non intermititur minus ſingulis menſibus audiendi Confefſiones. feſtis diebus Catechiſmus explicatur a duobus magno fructu. iſdem diebus & Quadrageſima habita conciones perpetuo concurſu nobilium. Vnus e Noſtris frequens excurrit in pagos, vt vno die, duobus tribusve in locis, habere debuerit concionem. ſic exaitata, non expleta cupiditas paganorum, in tanta operariorum inopia, abundante meſſe. Et in vno quidem pago, vbi per integrum ſeptennium nulla  
concio

concio fuerat audita, simul concionabundum videre, non pepercerunt lacrimis occupati animi presentii letitia. complures in amicitiam restituti: atque in his, fratres gemini duo, qui domum veluti in factiones distraxerant. optimatum precipua erga nos beneuolentia. Agi ceptum de extruendo Collegio, decretoque publico statutum, ut queratur locus opportunus, & instruaturn supellex: assignantur bina aureorum millia in annos singulos. spes amplior ostenditur. fulti aliquot, qui in Fide vacillabant: erecti qui ruebant: adiuti morientes magno eorum bono, & solatio superstitem, simile sibi auxilium votis omnibus optantium, ubi supremum diem explerent.

IN MONTENSI Sede non inuicilis pro numero labor. Catechesis, quae antea publica auctoritate, locoque, tradebatur a Theologiae candidato, nunc ab Ecclesiastico ciuilique magistratu nobis demandata est. excitauit nostraratio docendi multorum amorem. Templum quo commodato utimur, hoc tandem anno, nostris flagitantibus, consecratum. actum intra ciuitatem cum vno improbo, extra cum aegrotto (erat hic parochus, aberatque sex miliaribus, & Nostros euocarat) ut recte ille viveret, hic pie moreretur.

BRUXELLAE vrbs est loco, & foro quod ibi agitur, illustris. eo e varijs Collegijs, cum ad transigendas causas (ut fit) mitterentur multi, consultius visum est statuere Procuratorem, qui cum fratre vno vel altero prouincialia negotia tractaret. non neglexit is eadem opera, salutem proximorum.

confessiones generales excepit amplius centum quinquaginta, odia reslinxit, habuit non raro conciones ad cœnobîa. multis dux fuit, & auctor, ad vitæ emendationem. his studijs incitatus serenissimus Parmensis de instituendo Collegio cœpit cogitare: & aliquid erat effectum, nisi a dæmone, per quosdam, fuisset obiecta mora. Dux interea assignauit secenos florenos Brabanticos, donec Collegium stabilietur: & apparatus paulatim sacra supellex, & domestica, vt iam satis esse possit sex sociorum commoratori: nunc sacello vtuntur Sancti Antonij, in æde beatissimæ Virginis in Sabulone. e Confessionibus consecutus hic fructus, quod virgines aliquot viduæque, in quibus femina illustrissima e stirpe regum Hungariæ, pietatem toto animo complexæ. Hibernus adolescens cuiusdam desertor cœnobij, oppressus a dæmone, adductus cum esset ad nostrum Sacerdotem, inflato collo, ardentibus oculis, Non credo, inquit, in Deum, at Noster, incussa alapa, Non credis in Deum nebulo? Hæc vox cum icctu, reddidit mentem homini, vt fertur, & diabolum excussit. addidit enim statim ille castigatus, Credo Pater, credo: & liberatus est.

### M I S S I O C A S T R E N S I S.

**Q**'VO TEMPORE Alexander Farnesius Serenissimus Parmæ Dux, & Belgicæ oræ Præfectus, naualem expeditionem parabat, cum præclare intelligeret, exercituum fiduciam esse numinis obseruantiam, septem Sacerdotes e Nostris  
cum

cum vno laico a Patre Provinciali per litteras obtinuit: ita felicibus initijs, vt aucto labore, laborantes ad vigintiquattuor excrescerent. his omnibus, vt ne essent oneri militibus, necessaria ab ipso suppeditabantur. Igitur, dum contrahuntur copiae, Bruggis fuere: cum deinde circum littora Oceani diffusa essent legiones, vt nauigaret bellum, classe instructa, diuisi sunt per nationes, sacris operaturi, mundissimo apparatu, intendenda militum reuerentia. Et certe, mirum est, vt mutati animi fere omnium: nulla apud eos furta, nulla latrocinia: frigus, famem, inopiam libenti animo ferre: munia diligenter implere, audite Praepositos, vt ijs essent voluptati, admirationi hostibus, ostentatione pinguioris fortunae ad defectionem frustra sollicitantibus. Guarum id Principibus aureo vellere insignitis, nec rem ipsam tacentibus. Et quamquam hic quoque non defuit obtrektatio vmbra recte factorum, eam tamen lux clarior discussit: Et consulata est Nostris beneuolentia militum, non solum conscientia: assiduitas laborum adegit vnum e Nostris ad mortem: eiusque exequiarum officium, omni obsequio, debita, vt dicebant, pietatis, milites impleverunt. Iam quae fuerit disciplina castrorum a Nostris introducta, docuere leges in Dei numen, nomenve Calitum iureiurando, execrandove vsurpantes, in prouocantes ad singulare certamen, in ventri gulae deuitos, sponse militum inductae: duobus incontinens lingua, ad aliorum exemplum, ardenti ferro traiecit. pellices lupaque eiecit. muliercula cum fetum



edidisset, extra humanam carnem, similem talpæ,  
 multis argumento fuit ad bene viuendum. matrimo-  
 nia aliquorum legitima coniuncta, non legitima cor-  
 recta. nec minus laboratum in formanda iuuentute,  
 quæ sequitur castra. sed res interuenit, ad declaran-  
 dum amorem erga nos militum, opportuna. Sacer-  
 dos vnus dabat operam duabus Gallorum legioni-  
 bus, in vna statione coniunctis: cum diuersis in lo-  
 cis esset hiemandum, vtraque illum deposcebat: or-  
 ta erat inter ductores contentio: alter nobilitate ni-  
 tebatur, alter suis meritis in rempublicam: res de-  
 lata ad Ducem Parmensium à hic prudenti consilio  
 Sacerdotem alium impetravit a Prouinciali, vt neu-  
 tra legio alteri inuideret. fortis erat omnino exerci-  
 tus, ac pius, vt quidlibet sperare posses. Deo ali-  
 ter visum. Secuta est obsidio Bergensis, & similis  
 industria Nostrorum. Quin & cum res diuina fie-  
 ret sub pellibus, pluresque exclusi, frigori es-  
 sent & vento obnoxij, collectis florenis  
 mille, Sacellum plicatile e tela af-  
 fabre factum est, capax plu-  
 rimorum: quod facile  
 circumfertur sa-  
 cro faciun-  
 do.

P R O V I N C I A  
F R A N C I A .



*V*AE IN VNIVERSVM  
de hac Prouincia scribenda erant,  
propter difficultatem credo tem-  
porum, non fuerunt transmissa: nec  
fuit tantum vacui temporis, vt ea  
colligerem. Venio ad eius Domicilia.

D O M V S P R O F E S S A  
Parisiensis.

**M**AGNA Parisiensium fuit significatio  
pietatis, hoc anno, in diebus maioris ieiunij,  
cum potestatem indulgentiae consequenda fecisset  
in speciem Iubilei Pontifex maximus, vt grates  
victori Deo agerentur. Quindecim dierum spatio  
incredibilis paenitentium frequentia fuit. Hinc illa  
restitutiones aeris factae complures: in his vna  
aureorum sexcentorum. redditus Ecclesiastici, quod  
male possiderentur, sponte reiecti. flagitiose mulier-  
cula frugi factae: sed & proprie euenere nonnulla.  
Mulieres duae quibus imponebat demon transfigu-  
rans se in Angelum lucis, vix tandem magno ip-  
sarum bono, dedocta. adiuta aliae firmataeque, vt  
quamlibet magna opulentia, cuius spes offerebatur,  
astimarent plaris pudicitiam: quaedam vt libera-  
rentur angoribus conscientiae. ab adulterio multi, &

a pellicum consuetudine abstracti . in vrbis paroc-  
 cijs pagisque vicinis pueri rudesque elementa Fidei  
 edocti . Visi qui attinebantur in carcere , adiutique  
 qui adigebantur ad mortem . nec relictæ consuetudo  
 adeundi vrbes propinquas . Igitur vnus Metis ex-  
 ciuit ciues concionibus , alter Tarnone audiuit sa-  
 cras virgines : earumque Sacerdotem desperata iam  
 salute relictum ab omnibus simul sacro oleo inun-  
 xit , pristinae valetudini , Deo operante , restituit .  
 Dein magno apud Andegauenses in amore , atque in  
 honore fuit , non minore modestiæ quam doctrinæ  
 commendatione . adiit postea Rhedonas in Britan-  
 niam : multos ex ijs confirmauit in Fide vacillantes :  
 tum ad Sancti Brioci : vrbis est nomen : tantaque  
 consecuta morum correctio , vt apud Rhedonas mul-  
 torum cura ad Collegij adificationem sit conuersa .  
 magnum eam ad rem momentum habuit repudiatio  
 pecuniæ , quæ mercedis loco conferebatur . exierat  
 enim fama , iactato scilicet prouerbio , Laudari a no-  
 bis caelestia , sed terrestria quæri .

### COLLEGIUM PARISIENSE .

**I**NEVENTE anno erant in hoc Collegio socij  
 octogintasex : mox noui ijs Virodunum redeun-  
 tibus , septuaginta quattuor , non pauciores . Pater  
 Gaspardus praefectus Congregationis a longo vtiliq.  
 labore vitæ acquieuit . & fuit eius mors quam plu-  
 rimis acerba : Fuit autem hic annus , si alius quis-  
 quam , negotiosus Nostri , iuxtaque fructuosus ad  
 ani-

animorum salutem. Celebrioribus diebus, sedecim  
 excipientibus confessiones, ad diuinas epulas acces-  
 serunt milleni ducenti. id adeo gratum vrbi, vt &  
 parochi non raro, & gymnasiarchæ duo Nostrorum  
 opera vii voluerint ad suos audiendos. de tota vita  
 confessi ducenti viginti. & fuit post confessionem  
 qui professus est magno se sollicitudinum aestu leua-  
 tum. Vocatus vnus e Nostris ad egrotum, iam  
 vicina morte, pressis oculis, & spiritu, supremos  
 reddentem anhelitus offendit: litanias recitat, a-  
 quam lustralem aspergit, Crucem fronti admouet  
 moribundo, inclamat hominem nominatim, admo-  
 net vt inuocet cognominem Sanctum: tum ille, Ie-  
 sum appellans, Antoniumque tutelarem, expergi-  
 scitur: & cum anima sua & familia quæ erant ne-  
 cessaria prouidisset, obdormit. cum altero qui ab-  
 stinentia vitam finire decreuerat, iamque aberat  
 proxime a morte, acrioribus verbis fuit agendum,  
 vt resipisceret, munireturque Sacramentis, ante-  
 quam animam esflaret. alium Deus ipse, ostensis  
 vlticibus flammis, & Calitum gaudijs adduxit ad  
 penitentiam. Patronum quidam sibi e beatorum  
 cœtu Augustinum adoptauerat: ei tale oblatum est  
 somnium. Tamquam inuitatus comparabat se ad  
 celebritatem conuiuij, cum aliquot alijs, qui præ-  
 cesserant: interea virum videt venerabili specie,  
 qui eum seuocans, hæc iterabat. Transite vana,  
 Transite vana: tum conuersus ad alios: & hic, in-  
 quit, statuit inseruire Deo. hoc viso mirifice recrea-  
 tus, & confirmatus est. Catechismus explicatus in

vrbe multis locis, factum maxime laudantibus, qui  
 ante vituperabant. nec minor utilitas ex vtraque  
 Sodalitate in nostris scholis, Conuictorum videli-  
 cet, externorumque, sub tutela Mariae Virginis:  
 ex vtraq. iuuenes in spem Religiosarum familiarum  
 adulescunt: eorum preces requirunt saepe Parisien-  
 ses molestiarum leuamento. Matrona nobilis, &  
 cum semper faceret abortum, misere fecunda, cum  
 illis se commendaret, postera die feliciter enixa est.  
 Regina dominicum sepulcrum in templo nostro cum  
 vidisset, audissetque de Sacello sodalium, libenter  
 illud inuisit, eorumque studia amplissime collauda-  
 uit. & vero, honesto homines loco ordineque senato-  
 rio inter eos adscripti. Conuictorum numerus au-  
 ctus: ducenti octoginta numerantur: magna enim  
 opinio nostrorum doctorum, nostraeque disciplinae,  
 vt occupatis locis interioribus, in area mansissent  
 multi, exclusi scholarum angustijs: respectantes  
 alij discedant, & se ipsi increpantes, quod non ma-  
 turius accesserint. reliquorum moderatores gymna-  
 siorum, & magistri plerique, praedicant institutum  
 nostrum, publicisque Nostrorum disputationibus  
 intersunt: itaque fauent, vt conciliarint nobis non-  
 nullorum studia, qui antea aduersabantur: & hi  
 quoque liberos expetunt in conuictum admitti. ne-  
 que abest utilitas. non nemo ex errorum tenebris  
 emerisit, Religiosorum habitum induere non pauci.  
 omnium ad pietatem eximius ardor. agrotabat ex  
 illis vnus iam exhaustis viribus, ac voce deficien-  
 te: igitur suprema vinctio fuit adhibenda. ab ea sta-

tim recipere animum, & circumstantes cœpit agnoscere: tum de Sacerdote nostro quæsiuit, an videret lucem: affirmanti, non communem, inquit, hanc lucem intelligo, sed Angeli, qui videndum se dedit oculis meis. Numquam vobis, Patres, parem referam gratiam, qui me ita instituistis. ex vnius virtute iudicium de reliquis fieri potest. absolvam de hoc Collegio breui narratione. Tolosa Burdegalam ibat vnus e Nostris socio milite. oppidum in quod diuerterant, ab hæreticis noctu capitur. cum omnia igne ferroque vastarentur, miles exiens domo statim ab obuiis confoditur. At Noster postico egressus Patrem Ignatium suppliciter vocâs in vota, etiamsi disploderentur in ipsum sclopi quamplurimi, admirabiliter seruatus est.

## COLLEGIUM MVSSIPONTANVM.

**SOCII SEXAGINTA**: pro duobus mortuis submissi a Deo septem. Philosophi ex his quattuor, duo Theologiae studijs initiati. atque ex eorum numero Scotus vnus e Seminario, qui cum in patriam profectus esset ad expedienda negotia ab hæreticis captus in itinere pecunia se redemit. Et in bellorum motu, metuque pestis, discipuli non pauci. nempe octingenti. excitati præntijs, publicisque actionibus: vt Hierosolymorum expugnationis: hæc enim tantam commouit expectationem, & exciuit multitudinem, vt effractis Collegij valuis Dux ipse per custodes corporis sui tumultuantes prohibuerit ingres-

ingressu. Fuit etiam celebrer dies & festus, cum poetico artificio & ingenio certarunt discipuli, carminibus propositis, & enigmatis dissoluendis: quo etiam die Dux spectator & arbiter, cum tribus liberis, duobusque Vademontanis adolescentibus, apud nos pransus, & duodeviginti idiomatum varietate, quæ inter prandendum audierat, delectatus est. Suppeditavit impensam Episcopus Metensis: cuius magna erga nos liberalitas, & pietas erga Deum. quippe reditus nostros annuos firmavit, auxitque: & instituit diœcesi suæ Seminarium: in quo nunc quidem triginta, paulo post sexaginta dicuntur futuri: idem operam dedit, vt Collegium distrabente pestilentia, doctrina Christiana varia per loca traderetur: præcipue in vrbe, quam Nostri cum vtilibus præceptis coniungentes suauitatem cantus, iuuerunt vna oblectaruntque, communi ciuium approbatione: idem præstitum in oppidis pagisque: sed & quodam loco restauratum templum celebratumque, desolatum antea, & temporum seu hominum iniuria desertum. mirum in hac distractione quam multa pertulerint Nostri, cum essent intuta omnia atque infida. Lapsi sæpe in manus hostium, nonnumquam inducti: sed diuino eos protegente auxilio, semel, etiam cum inter fulgorem gladiatorum, & tormentorum fragorem, effuso cursu se e periculo exemissent, vis aduersariorum citra vltima stetit. & in his tamen fluctibus, octo e profundo haresum extracti: vnus a consilio sibi necis asserenda.

BITVRIGENSE ET VIRODVNENSE  
Collegia.

**B**ITVRIGIBVS institutum Sodalitium, vt  
vocat, Pœnitentium, qui ad nos ventitant  
causa Sacramentorum. ex eo vilitatis spes magna  
in ciues plurimos peruenturæ. Mauri duo corporis  
animique periculis perquamdiu iactati ad Christianæ  
religionis portum se appulere, informatique a No-  
stris, & effusa incundum ad spectaculum ciuitate,  
baptizati sunt. Domesticus quidam Collegij famulus  
discesserat a nobis cum furto: sed, vt saepe peccati  
comes est stimulus conscientie, cum consistere ani-  
mo non posset, misit qui rem ablatam restitueret,  
quin & ipse postmodum, cum pallenti vultu ac de-  
misso, ad Nostros redisset, non veniam modo, sed  
& locum eundem obtinuit domi, quem antea ha-  
bebat. Instructum etiam in hac vrbe, non paruum  
presidium veræ religionis, Cœnobium Capuccino-  
rum, quos primum exceperunt Nostri de via fes-  
sos, recrearuntque, non parua eorum leticia, ci-  
uiumque gratulatione. Discipulorum numerus  
permagnus. e Nostris obiit frater vnus insignis la-  
borum patientia: cui phthisis non improvisam mor-  
tem attulit placidissimo somno quam simillimam.

**D**IFFICILIS ANNVS VIRO DVNO  
fuit, seu quia ciuitas orbata Episcopo, nec quis-  
quam adhuc in eius locum suffectus: seu quia super-  
tumultum bellicum ingruente peste menstruum iu-  
stitium fuit: adeo cessatum etiam a iuuentute insti-  
tuen-



tuenda: etsi animarum procuratio non ommissa. plurimis in templis, nostraque in eade conciones habita, sed infrequentes: nec tamen defuere obeuntes Sacramenta. illustris pietas hoc etiam anno vnus mulieris, quæ virili prorsus animo a turpi quæstu viâ. præcipiti abductas puellas domi suæ sustentabat, bonisque admonitis ad Nostros adducebat: vt a iactis fundamentis sacræ Confessionis edificarent domum in saxo, nullo turbine quatendam. etsi ipsa quoque non caruit detractoribus. Sed anima Christiana nullum maius solatium, quam testimonium conscientie. nec propterea destitit ab incepro. Fuit & alia mulier nobilis, cuius cupiditatem Deo obsequendi, hominibusque propter Deum benefaciendi, ita Deus ipse complexus est, vt sepe nunquam in functione muneris, quod ad Dei honorem hominumque vtilitatem perineat, acquiescat. Tyronum in hac Prouincia numerus maior hoc anno, quam alias vniquam, & eorum studium feruentius. in hoc Collegio informantur. Quadraginta fuerunt super decem, qui confecto priore anno tyrocini Lutetiam missi: quod, nisi esset res nostræ domi angusta, augendi erant. plerique ex ijs arctam ingressi viam, quæ ducit ad vitam, abiecto onere diuitiarum, & parentibus inuitis. maluit vnus mendicatio cibo vitare per biennium, quam apud Calvinistam parentem abundare cum periculo vitæ. ponentur nunc breuiter duo, auditu, vt opinor, non iniucunda. Puella erat in vicino pago iam adulta, ita male animo affecta, vt abuens omnem curationem, nec linguam

quam modo, sed etiam dentes exacuens in quoscumque, per duos menses fuerit vinculis constringenda, ad Nostros in urbem adducta cum esset, sacris precationibus adiuta, resotaque medicamentis, post decimum diem pæne persanata discessit. Mirum etiam fuit sacerdotem vnum e Nostris incidisse in manus hereticorum, quorum immanis in Catholicos bacchabatur insania, ab ijsque, licet pro Iesuita agnitum, impune dimissum.

NIVERNENSE COLLEGIUM  
& Augense.

**A**LVIIT NIVERNVM e Nostris septemdecim. Congregatio sanctissimæ Virginis mirum in modum adaucta. Excitati civium animi in ferijs natalitijs dramate pulcherrimo. Dux Nivernensis locum relaxationi commodum Collegio dedit, promovitque ædificationem pecunia attributa. Fæsto die beati Ludovici oblatus cereus, insigne foundationis, filio Fundatoris, perhonorificæ celebritate. Is cum antistite, & aliquot optimatibus, eodem die apud nos prandium sumpsit. Proximorum cura non intermissa: ex his mulier, quam mariti desiderio contabescentem ludificabatur demon varijs terroribus, Nostrorum consilio, ea sollicitudine fuit & ludificatione liberata.

MAGNO AVGENSIUM quoque bono fuit Patris Visitatoris adventus. Scholasticorum maximus numerus, ut scamna pro foribus fuerint

vint collocanda. eorum magna ingenij commendatio  
 & probitatis, corruptis moribus, librisque corru-  
 ptoribus bello indicto, illos pro viribus exterminant,  
 hos inflammant. perspecta saepe virtus salutaris  
 Confessionis, extremaeque Vnctionis in moribundis.  
 restituti ab vno aurei plus centum sexaginta. insanae mulieri,  
 item seni cuidam, voluntariam mortem cogitantibus,  
 mens reddita. muliercula duae ab impuro contubernio extractae.  
 per dies quadraginta continuos habita concio, & doctrina  
 Christiana pagatim tradita, atque ad eundem morem  
 seruandum parochi diligenter instructi. Sed hac videlicet  
 sollempnia: hoc singulare. Die sacro Virgini conceptae,  
 matrona quaedam e primoribus ciuitatis, cuius filium  
 atrox pituita suffocabat, cum venisset auxiliij & consilij  
 causa ad Nostros, eam ob rem communicauit, Sacrum  
 audiit, ceream facem donauit Dei Matri: mirabile dictu:  
 domum reuersa filium extra periculum, & fere incolumem  
 offendit. puer praeterea octauum annum nondum egressus,  
 cum audisset concionem de sacrosancta Eucharistia,  
 ita inflammatus est amore religionis Catholicae, vt  
 ab ea nullis nec precibus, nec minis, nec vero verberibus  
 potuerit a furente matre demoueri.

LUGDVNENSIS  
PROVINCIA.



**N**OVERANTUR de Nostris in octo Collegiis centum nonaginta. In Lugdunensi cum Tyrocinio adnexo quadragintanovem: In Turnonensi trigintaduo: Octodecim in Billo-  
mensi: In Auenionensi vndetrigin-  
ta: In Camberienſi quindecim: In Diuionenſi vigin-  
tinouem: In Dolano vnus & viginti: In Anicienſi,  
quod hoc anno incolæ ceptum, tredecim. Sex vita  
defuncti. Quindecim in Societatem adſcripti. Ex his  
Collegiis Reuerendus Pater Laurentius Magius Gal-  
liarum Viſitator quattuor luſtrauit, Lugdunenſe,  
Camberienſe, Diuionenſe, Dolanum. Turnone Bit-  
lomoque Patres præcipui ad eum venire Lugdu-  
num. Auenio enim iam diu intercluſa: quam ob rem  
de ea nihil ponetur. Ita aduentus ipſius toti fere  
Prouincia, vbi & inſtituit Collegiorum Rectores ali-  
quos, lætus atque vtilis fuit.

COLLEGIUM LUGDVNENSE.

**I**N HOC COLLEGIO multa vtiliter a Pa-  
tre Magio decreta. Conuictorum diſciplina, ra-  
tionesque, a Collegii rationibus ſeiunctæ. Nouitia-  
tus, præter paucula quedam, diſcretus a Collegio Ce-  
terum Noſtri in quattuor templis celebrioribus die-  
bus

bus festis, ac dominicis concionati. Mense Februario quibus diebus ad grates numini agendas pro re-  
 lata victoria de perduellibus, per horas quadraginta continens supplicatio fuit, tantus ad adem nostram conuentus erat mortalium, quantus vix vquam antea diebus celeberrimis. Gratiarum actionem excepit alterum beneficium: ita enim derepente imminutum est pretium frumenti, vt mirabile videretur. Messem dices diuinitus in Galliarum vrbes hieme demissam. Dominus Mandetotius exper-  
 ta virtutis, qui vigesimum iam annum Lugduno pro rege prepositus erat, hoc anno excessit: affuit morienti ipsius rogatu Pater Emundus Augerius idem in eius funere laudationem habuit, omnium opinione mirabilem, & multis fructuosam. Gymnasium Conuictorumque contubernium celebratur, vt cum maxime. Quadregesima duo e Nostris diuersis in oppidis concionem habuerunt, magna cum hominum concursu, fructuque. Alterum ex his oppidis, Nantua fuit Genoua contermina, de qua etiam proximi literis: vt iam vicini Geneuenses non ita alacres latique Nantua uollient, & ardentiores in Fide Catholicos doctioresque experiantur. Libri hereticorum combusti multi ab arte incantandi (cuius frequens usus in Geneuensi) ad Christi gregem ducti.

## NOVITIATVS.

**I**N NOVITIATV uersantur uiginti:ij pio-  
rum elemosyna partim aluntur, partim are, &  
si, ut his temporibus, perexiguo, a reliquis Colle-  
gijs contributo. Omnes ueterem exuentes hominem  
dant operam ut quam maxime fingant se ad prescri-  
ptum Societatis. Ad Sancti Claudij peregrinatio sus-  
cepta a nonnullis. Quo tempore, cum eorum vnus  
quodam in oppido, attrita veste, ostiatim quereret  
Sipem, in cognatos incidit: hos etiam elemosynam  
rogat, mutatione vestis uidelicet incognitus: cum  
vox hominum prodidisset, exarsere iracundia illi,  
talem habitum quastumque indecorum, familia ra-  
ti: ita, molliter agunt primum, ut illa exuta veste  
mentem induat meliorem, altosque spiritus gerat:  
quod si insanire pergat, domum saltem eat: pecu-  
niam equosque offerunt. Nam que ista prudentia  
mala ultro accersere, cum bonis abundes? Ad hec  
paucis Noster. Nihil sibi honestius, aut in animo  
magis, quam sequi Deum: eius amore illum sum-  
psisse habitum, illam vitam expetisse: nec laborare  
si insanus habeatur ab ijs, qui uera sapientie gusta-  
tum non habent. Vestras res uobis habetote. mihi  
vnus rerum omnium instar est Christus. Cum hoc  
dicto in hospitalem domum, cognatis frementibus,  
partim etiam admirantibus, cum socijs contendit.  
Alius quidam Parisiensis nobili familia, doctor  
Sorbonicus, Canonicus Sancte Marie Parisiorum,  
natus annos quinque & triginta, cum loca sancta

Palestina, Aegyptumque postea, & celeberrimas  
 Turcarum vrbes perlustrasset, ad extremum Ro-  
 mam venit. Hic apud Nostros, eo in Sacello quo  
 humatus est Pater Ioannes Meldonatus, cui Lute-  
 tia operam dederat Theologiam docenti, cum sa-  
 crum facit, proque eius anima tacitas ad Deum pre-  
 ces effundit intimos ad rerum humanarum contem-  
 ptum, & ad Societatis nostrae petitionem sensit im-  
 pulsus. & egit de ea re cum Patribus: sed de eo-  
 rum consilio cum in Gallias reuenisset, Lugduni tan-  
 dem, a Patre Magio, vt admitteretur impetrauit.  
 Nec vero sileri debet acceptum alium optime indo-  
 lis adolescentem, quem mater ab ipsa infantia Deo  
 & Societati nostrae consecrarat.

#### COLLEGIVM TURNONENSE.

**S**VVS ETIAM extiit Turnonensi Colle-  
 gio fructus. Dux quidam militum haereticus,  
 cum hortatu Turnonij Comitum ad nos diuertisset,  
 Catholicus ad eum reuertit. Negligeat adolescens,  
 an oblitus erat (quod non in longum daret apud vi-  
 uos memoria mortuorum) mortui socij mandatum;  
 mox cum eius vidisset speciem squalentem, ac tri-  
 stem, & minaciter obiurgantem, tantus pavor tre-  
 morque omnium membrorum hominem cepit, vt ex  
 templo cum rem detulisset ad Nostros, erogata in  
 vsus pauperum pecunia (hoc enim erat mandatum)  
 solueret fidem. Animi magnitudo, quae apparuit in  
 vidua florentis aetatis non est praetermittenda. In  
 huius

huius domum milites, vt omnia licere sibi arbitran-  
 tur, meretricem immiserant: hanc illa vicinarum  
 matronarum facta manu correptam capillo, mulie-  
 brem animum mirantibus militibus, & indigne fe-  
 rentibus, domo expulit. maiore eadem animo ob-  
 stitit homini nefario, a quo pelliciebarur ad stuprum.  
 Alia quedam mulier proximi pagi cum in medias  
 flammis bacchantis incendiij coniecisset sacratam  
 plangunculam agni caelestis, sedato eam igne narra-  
 uit a se integram magna omnium admiratione reper-  
 tam. auxit ea res in plurimis rerum sacrarum vene-  
 rationem. Mulieres denique tres, quarum diu, aut  
 in perfidia, obstinata mens, aut in recta fide, ficta,  
 communioni fidelium restituta. Albenacum est  
 vrbs Diuariensis prouinciae facile caput: haec cum  
 ipsos quinque & viginti annos Calvinum sustinuis-  
 set, a Catholicis recepta est. Huc missus Sacerdos,  
 Catechismi explicatione, scelerum expiatione, fre-  
 quenti etiam per plateas, vt haeretici audirent vel  
 inuiti, concione, in vicinos pagos excursionem, ita pro-  
 fecit, vt totam prope urbem, locaque circumiacen-  
 tia cum Ecclesia reconciliarit. mirum est, quan-  
 tum illa profecerit ciuitas Sacerdotis commoratione  
 trimestri, quam agre tulerit ipsius discessum: & re-  
 ditum quidem orant: sed obstat paucitas operarum.  
 Grauis hoc etiam anno vniuersam prouinciam in-  
 uasit pestilentia: Nostrique prouidentiam numinis,  
 & mortalium beneuolentiam experti. ita a multis  
 ciuitatibus vocabantur. Cum ad vnam se contulif-  
 sent a portarum custodibus parum amicus sunt in-



gressu prohibiti: quod ita acerbe tulit Patronus regius, ut iusta percitus iracundia, cum lacrimis rem illam vaticinaretur civibus non paruo constituram. Et nunc etiam, cum consecutus imber cum grandine spem vini illius anni abstulisset, veram fuisse predictionem affirmat. Primarij haeretici Annonensis oppidi certos homines miserunt ad Collegium, qui disciplinam Nostrorum orarent liberis suis: quod cum Pater Rector non grauate spondisset, ipsimet parentes adierunt, atque inter loquendum ostenderant, si filij efficerentur Catholici, non iniquo animo laturos.

#### BILLOMENSE COLLEGIVM.

**E**TSI IN HOC Collegio Nostri cum varijs incommoditatibus domi forisque toto anno certarunt, publicos tamen fructus priuatosque retulerunt expectatione maiores. Cum vnum e professoribus, ciuitate adhuc incolumi, oppressisset pestis ita saeva atque atrox, ut praecisa spe salutis seorsum ei tumulus, omniaque necessaria funeri comparata essent: tantum apud Deum beatamque Virginitem, quae Anicij colitur, potuerunt, a Nostris exterisque vota pro eius valetudine suscepta, ut tertio denique mense praeter omnium opinionem conuauerit. mirum hoc, iuxtaque illud: Nostrorum nemini, qui cum eo sunt diu familiariterque versati, contagionem nocuisse. Igitur huic vita producta, quo augetetur laborum praemium, & spatium laborandi:

randi: est enim iuuenis: alteri, qui multis iam annis  
 procefferat, erepta. Erat is Pater Ioannes Belme-  
 sius multiplici vir eruditione, linguarumque peri-  
 tia, & quæ utilior multo est scientia, sui contem-  
 platione insignis. eximia semper veneratione sacro-  
 sanctam Eucharistiam profecutus: quod & supremo  
 tempore ostendit. tantus enim fuit pietatis sensus,  
 itaque animum penetravit (habent hoc diuinæ con-  
 solationes, vt vbi semel perripere, difficile preman-  
 tur) vt lacrimas tenere non posset, media nocte,  
 ea quæ vltimum diem præcessit, Eamus, ingemina-  
 eamus. quo Pater & excipit qui ægro assidebat. San-  
 ctum, inquit, Baptistam & Virginem beatissimam  
 video. vtrumque miro honore semper coluit. inter-  
 rogatus iterum ab eodem, non exaudiente, seu dis-  
 simulante, eadem respondit, nec multo post, sinis-  
 trum brachium indignans retorfit. Cur id ageret,  
 rogatus, aut quid esset, respondit, esse diabolum. po-  
 stero die, cum oblatum iusculum abnueret, gestu,  
 quasi minime necessarium, vt admonitus est obe-  
 dientiæ, obduxit illico quantulum potuit: vt fere in  
 pulcherrimæ illius virtutis, cuius fuit viuens, quam  
 maxime tenax, significatione, spiritum daret. In  
 externos, etsi pestilentia bis clausit gymnasium, nec  
 exigua, nec inutilis opera collocata. Opima Sacer-  
 dotum beneficia, quæ a laicis obtinebantur, No-  
 strorum suasu relicta. Matrimonium clandestinum  
 ex præcepto Tridentinæ synodi rite celebratum. ce-  
 lebratum item alterum, pacatumque, quod turba-  
 uerant controuersia. Spectatus labor in persanandis

dis hereticis. Et in vno quidem oppido quinquaginta homines de sententia detruserat Sacerdos, ydemque alijs ducentis idem persuaserant: nec spes sublata futuri euentus: etsi nunc mora quadam oblata. Quidam in sanctiore ipsa hebdomada, cum tribus confossus vulneribus, eorum dolorem acceptaque iniuria ferre non posset, sic vt in remedia posceret gladium, inductus est paulatim a Sacerdote, vt veniam a Deo peteret, & inimico daret. Prava quadam consuetudo, que in Confessionem irrepserat, beneficio concionum correcta. Persuasum aliquibus, vt non in posterum modo ab vsura abstinerent, sed etiam, vt male parta restituerent. Eorum vnus quicquid habebat opum fenori ferebat acceptum. Alter ad viginti aureorum millia reddenda perductus. Atroces inimicitia restincta. Eam vnus ob causam, summa sui cum voluptate, populique gratulatione, suscepit publice sacrosancta mysteria, quibus iam diu caruerat, cum remisisset inimicis offensam. Parauerat quidam vxori venenum, sic illam oderat: sed cum vno e Nostris congressus, veneno abiecto, odium cum amore mutauit. Actum cum virginibus multis, vt Deo, cui se consecrarunt, diligentius famulentur.

### CAMBERIENSE COLLEGIVM.

QVÆ CAMBERII hoc anno gesta, sic habent. Conciones Quadragesima magna c.

niim

uium utilitate a Sacerdote nostro in templo Domi-  
 nicanorum habitæ. Viri quidam reconciliati cum  
 vxoribus, a quibus dissidebant. Carcer concio-  
 nando, triremes confessiones audiendo, capitis  
 damnati ad summum supplicium prosequendo, ad-  
 iuti. æs alienum nostrum beneficentia cuiusdam vi-  
 ri nobilis dissolutum magna ex parte. Decessit vnus  
 esocijs non leui nostro cum damno, & externorum  
 morore, quem lacrimis testabantur. Ceterum ex  
 hoc Collegio Sacerdotes tres missi in varia loca, ex-  
 citandis concione multorum animis a Cingularibus ad  
 Pascha, non paruos fructus reportarunt. Ex his  
 vnus fuit Pater Petrus Pepinus, qui cum Granopo-  
 li (ea est Acustorum colonia Narbonensis Gallie  
 nobilissima) concionibus vitæque non minus se bo-  
 num virum quam doctum ecclesiasten probasset,  
 eaque ratione ad admirationem omnes, ad frugem  
 meliorem multos adduxisset, sub Pascha defunctus,  
 laborum quos pro Christo in Societate susceperat,  
 recentium veterumque premium tulit. Decum-  
 benti homini assuerunt quique nobilissimi, eumque  
 omni humana ope subleuandum curarunt: cum vi-  
 cisset morbus, mortem ipsius, tum lætus ciuitatis  
 funere amplissimo, tum Sacellum, ad quod pro eius  
 anima constitutum Sacrum quot hebdomadis, insti-  
 gnem fecerunt.

## DIVIONENSE ET DOLANVM

Collegia.

**I**N DIVIONENSI Collegio domestica inopia, materia Nostris fuit, lato quoque animo, non tantum æquo, exercenda patientiæ, & fraternæ caritatis. Discipulorum numerus, quem duorum annorum pestis, famis, bellique calamitas imminuerat, fere in integrum restitutus. Ita declamationes, disputationes, ceteraque litterariæ exercitationes habitæ multæ, eaque nobilitatæ sapius ab illustrissimo Principe Carolo Duce Meinæo Burgundiæ Prorege, & a Senatu frequenti. Domi forisq. non improspere laboratum. Octo missi ad Tyrocinium optimæ spei adolescentes, e quibus duo, ut assolet, a propinquis, & quibusdam illorum hæreticis, per annum integrum, grauitè frustra que tentati. Et certe experimur, quod dixerunt Patres nostri initio nascentis Collegij, ad res diuinas esse hanc inuentutem natura propensam. Pueruli multi parentes senes a cibis vetitis exemplo renocarunt. idem agros ad Dei opem, sanctæque Ecclesiæ remedia deposcenda, verbo permouerunt: & redunte sanitate non sine fructu. Quidam genitorem grauitate morbi, & quod sæpe accidit, pharmacorum copia confectum, iamque damnatum iudicio medicorum, piacularis aquæ (quod sanequam mirum fuit) aspergine curauit. alij sex eiusdem beneficio aqua, sacra q. Confessionis, & celestis agni particula, agrotationem depulere morti proximant

Suus

suis quoque confessionibus, & concionibus non de-  
 fuit fructus. hæretici duo redierunt ad Fidem. hære-  
 ticus quidam consceleratae mentis, magicae artis no-  
 tas Catholico dederat, quibus eum affirmabat vi-  
 ctorem inimicorum turpisque voti futurum. hic cum  
 in patriam reditum pararet, noctu a diabolo oppres-  
 sus, omni festinatione confugit ad Nostros, ut eo se  
 metu liberaret. Datum etiam aliquid auxiliij publi-  
 cis custodijs. In vicinis oppidis, quattuor ab hæresi  
 respuerunt. Mulier, ex falso rumore, an ex diuturna  
 mariti absentia, eum mortuum suspicata, cum alio  
 nuptias contraxerat, & susceptis liberis, non infe-  
 rundas. multis post annis cum comperisset illum vi-  
 uere, ex dolore in furorem versa, complures iam  
 menses per vias publicas amenti similis errabat.  
 hæc Nostrorum hortatu ad Curionem adducta, ad-  
 hibitisque remedijs ad sanio rem mentem reducta est.  
 Civitas Divionensis nostræ egestatis subleuanda  
 percupida & publice & priuatim omni nos officio-  
 rum genere prosequitur. Ducenti aurei primum a Se-  
 natu, a primoribus totidem Collegio dati. E multati-  
 tia deinde pecunia ad promouendam adificationem  
 sexcenti. in publicis comitijs referente Carolo Mei-  
 næo Duce destinati mille ducenti. Hoc in genere  
 quiddam accidit scitu non iniucundum. Cum enim  
 civis Divionensis hæresi infectus ad Heluetios pro-  
 fugus obisset, testamento condito, quo quadringen-  
 tos aureos relinquebat ministris suis, quos appella-  
 bat reformatos: idem Senatus, referente ac rogante  
 fratre mortui, duabus factis partibus, ducentos ex

ijs aureos, alijs Religioforum familijs, reliquos Collegio attribuendos censuit: afferebat causam urbano ioco, non abhorreere a voluntate testatoris. reliquerat quippe illam pecuniam ministris verbi reformatis: at Iesuitas formatos esse magis, quam illos diuini verbi ministros.

**I N C O L L E G I O D O L A N O** summa pax domi forisque. Ex officijs Societatis nostrae, in vrbe ipsa, & vicinis etiam oppidis, fructus non paritendi. Scholae aucta doctore vno philosophiae, & discipulorum frequentia. Ad templi iacienda fundamenta, diligentia cuiusdam viri nobilis, quadringenti aurei ex Fisco deprompti. Dolana quaedam mulier pietate iuxtaque genere illustris vestem donauit ad Sacelli ornatum quingentorum aureorum pretio maiorem. alia item dona a ciuibus oblata. quorum prolixa erga nos beneuolentia: vt, quo auctior sit Collegarum numerus, certent augere Collegij censum.

### COLLEGIVM ANICIANVM.

**A N I C I V M** vrbs est Velauniorum primaria, natura loci manuque munita: patrio sermone Puis (quod Podium interpretantur) dicta, quod in montis dorso posita est. Hic templum Deiparae Virginis, vbi multa & opulenta visuntur munera, quae reddentium vota gratam voluntatem, & vim diuini numinis ostendunt. Hac in vrbe, iam inde ab anno  
huius

Huius seculi septuagesimo, ciues duce & suasore Antonio Senectario Episcopo de Collegio instituendo cogitarunt: & quia persuaserant sibi de nostra voluntate, sedes scholæque Nostriis inconsultiis ædificari cæpta: inciso, pulcherrimis notis ad earum angulos, Iesu nomine, argumento Societatis. Et res quidem tentata persæpe, sed in hac difficultate rerum ac temporum ad hunc annum extracta. & iam in opportuniore vr̄bis loco Collegium publice extruitur. Scholæ quinque apertæ sexto idus Nouembres, præuia oratione, gratulabunda ciuitate, quod vnus ille dies duode-

ginti annorum vota imple-

set.



P R O V I N C I A  
A Q V I T A N I A .



**D**E A Q V I T A N I A quæ gene-  
ratim colligi debuerant, incerta: ea  
existimare ex superioribus vnum-  
quemque, quam me quicquam po-  
nere incertum, tum melius, tum  
etiam facilius. Notiora videamus.

C O L L E G I V M T O L O S A N V M .

**C**OETVS IUVENVM anno proximo Dei  
Genitrici consecratus pane in ipso ortu occi-  
dit repentina pestilentia: sunt tamen adhuc in eo præ-  
cipua pietate adolescentes ad quinquaginta: auxere  
eorum decus & numerum viri tres claritudine in-  
signi: quos inter Episcopus Vauensis: qui & eo die  
panem qui de celo descendit præbuit pluribus in no-  
stro templo, & cumulanda lætitiæ, apud nos pran-  
sus, maiore apparatu versuum, quam epularum:  
auxit ea res magnopere illius erga nos beneuolen-  
tiam. explanari cœptus Catechismus in vrbe, quat-  
tuor locis, magna alacritate discantium, nec dispari  
vtilitate. Qui replicata memoria annorum omnium  
maculas confessione eluerunt, centum amplius di-  
cuntur fuisse. profuit & ijs adhibita cohortatio, qui  
æs male partum nullo pudore retinebant: inuentus  
qui aureos mille fraude adeptos apud se residere

non est passus. nec minor in mulieribus vaga libidinis extitit fructus: vnus, quo notior erat, nobilior conuersio: alia abducta perinde a flagitio, consilioque partus necandi. Sed dignior laude, ex his qui ventitant ad nostras scholas, adolescens, rara admodum castitatis, & aduersus muliebrum pellaciam inuicta. Neque id solum de nostro gymnasio. Quattuor in varias cœnobarum familias adscripti. Nec vero sua laude mulieres fraudanda. Ex ijs quæ celebrant ad eam nostram, virgines quinque, viduæ septem, se Deo nuncuparunt. Est hic quoque in recoligendo Christi grege laboratum. E Lutheri Calvinique ritibus nouem extracti. cum libris hæreticorum amorumque non leuior pugna. ab eorum lætione deterriti complures, ad combustionem additi non pauci. Verum huic Collegio cum ceteris communia dissimulentur. nihil dicatur de veteribus oppressis inimicitarum incendiis, taceatur de reconciliatis animis coniugum affiniumque, præmittatur de occupatis sceleribus aut auersis: rapit scribentem cogitatio ira numinis inuicti mali, quod in mæsta urbe, etsi labores Nostrorum auxit, clausit scholas. itum propterea ad uicinos egentes auxilii. Quo tempore omnes, ut porrigere se ad plures possent, a Deo defensi: nam & in urbe aures præbitæ consentibus, & extra urbem: uentum sæpe in loca infesta hæreticis, uel lue infecta, citra noxam. ita e quinquaginta socijs (tot enim e Tolosano Collegio censebantur) desideratus nemo: licet ad unum omnes tentati febre. quin & duo ad Societatem ad-

iuncti.

iuncti. igitur laboratum in oppidis præiacentibus,  
 in vrbe Vaurenſium, & in Teſtoſagum regione  
 propter finitimos hæreticos minus tuta. huc inuita-  
 tu optimi antiſtitis deſtinati octo, incolarum animos  
 litteris moribusque imbuendo, ſepimeſtre ſpatium  
 poſuere, tanta ciuium approbatione, vt ſponte ad  
 Collegij fundationem intenderint, certo viro tran-  
 ſigendi negotij ad regiam miſſo. interea circumfluen-  
 te inuentute e vicinis etiam pagis ſcholæ frequen-  
 tes. ter hebdomada explicatus Catechiſmus: habi-  
 ta conciones diebus feſtis maximo in templo. nec  
 abſuit vtilitas. e militibus duobus, vnus alteri præ-  
 ciſa aure, ſe in fugam conuerterat, nec erat difficile  
 ſaucio, iraque incenſo, fugientem aſſequi pedibus,  
 manuque vlcisci: ſed rexit impetum, iure magis  
 quam armis iniuriam perſequendi conſilium: cau-  
 ſam quærentibus reſpondit, quod audiſſet de concio-  
 natore non eſſe priuatas iniurias priuatorum arbi-  
 trio vindicandas. multi hæreticum venenum e pe-  
 ctore eiecerunt: inter eos matrona illuſtris. pari  
 animo, puella, adoleſcentique grandioribus, ſubuen-  
 tum baptiſmate, quo carebant. Xenodochium in-  
 teruiſum ægrotis conſolandis, curatumque vt an-  
 nui reditus cum fide adminiſtrentur: nec deſidera-  
 runt ſubſidium quos carcer detinebat: ſacroſancto  
 ſacrificio Miſſæ, & ſalutari ſermone recreati. La-  
 ſciuioreſ ludii dierum feſtorum in ſacras precatationes  
 conuerſi: muliercularum corruptele faceſſere iuſ-  
 ſæ. nec de peccatis modo, ſed & de eorum auctore  
 triumphatum. redibat domum ruſticus rebens  
 plau-

plastro puerum infantem : incidit in nescio quem  
 non ignobili ornatu : nimirum dæmonem ex hoc a-  
 gnoscas : poscit ab rustico filium, ingenti pretio con-  
 tra promisso : sed pluris fuit amor liberorum . nar-  
 rat uxori quod acciderat : in medio sermone , adest  
 ille idem , non iam iterans preces & promissa , sed  
 intentans vincla, & mortem : vbi id etiam non pro-  
 cedit , cum saltem flagitat sibi promitti , quem mu-  
 lier esset paritura : hoc quoque pernegat pater na-  
 turali benevolentia : vxor interim cum vereretur  
 dæmonis insidias , rem defert ad parochum , hic ad  
 Episcopum , Episcopus ad Nostros : Nostri expia-  
 tis criminibus coniuges muniunt sanctissimo Sacra-  
 mento , tum armatos particula agni celestis vetant  
 dæmoni spondere quicquam, aut cum eo longius col-  
 loqui , signo Crucis frequenter obiecto . redit im-  
 portunus , cum repulsam de liberis ferret , particu-  
 lam postulat domesticæ supellectilis : vbi friget , vel  
 herbulam ex horto : donec tandem intra paucos dies  
 fractus abscessit . etenim magna vis Sacramentorum .  
 eorum vt augeatur veneratio , excitata Nostrorum  
 suasu Sodalitas in honorem Christi corporis , non e  
 laicis solum , verum etiam e clericis , maximo fru-  
 ctu . In hoc Nostrorum discessu , accitu Castrensis  
 Episcopi a duobus Sacerdotibus aliquid opis alla-  
 tum est etiam oppido Lautreco : vbi nunc Episcopi  
 sedes , vrbe videlicet ab hæreticis iamdiu occupa-  
 ta . In eo oppido ad populum habitus sermo ante  
 Domini Adventum diebus sacris : singulis ipso  
 Adventu : bis quot hebdomadis Fidei elementa ru-  
 diori-

dioribus tradita: instituta frequens disputatio & frugifera de Pœnitentiæ sacramento, conuenientibus semper Catholicis, cum hæreticis permistis: & iam ex his nonnulli vacillant, & Sanctorum imagines clanculum per interpretem extorquent. cuiusdam iniecta religio vt sacrum calicem restituat, quem sacrilegio quasitum impie retentabat. multorum denique pacata conscientia. Hic etiam antistes efflagitat collegium. Ergo his duobus Episcopis studentibus fundando Collegio, Auscij (nisi quid malus demon turbet) prope fundarunt. ea de re quam breuissime expediam. Ausciorum vrbs Augusta olim appellata, in ea Aquitaniæ parte est, quæ Vasconia dicitur: ibi Archiepiscopi domicilium, & antiquum gymnasium nobile. huius procuracionem gymnasii ad nos transferre cupientium Clericorum rogatu, missus est sacerdos cum laico, vt natu maiores ille, hic minores instituat. Et, Deo fauente, res quidem initio procedit, verum spes maior felicioris progressus. Et extulit se vt ferme fit, maleolorum nebula infuscanda luci nuper exorta: sed illa disiecta Sol magis inclaruit: dein maledictum in laudem vertit. igitur opus vt getur designata area, collataque pecunia templo extruendo: missaque ad Patrem Provinciale litteræ, vt assensionem exprimat a Reuerendo Patre Generali, non Ausciji modo, sed & Vasconibus, & finitimis Nauarræ oppidis profuturam.

COLLEGIUM RUTHENENSE  
& Mauriacense.

**S**UB FINEM superioris anni, ut proximis litteris scriptum est, gliscente pestilentia, profectioe variae varias in partes felices exitus habuere. Procurator Collegij, cum exit ex vrbe, euocante negotio domestico, incidit in latrones, a quibus spoliatus est, & duabus impositis plagis semiuiuus relictus: ut res congruerit cum Euangelio, quod illa hebdomada, nempe duodecima post Pentecosten, legebatur. Concionatus est vnus e Nostriis sollemni ieiunio dierum quadraginta: alij item in vicinis locis, frequenter, non sine sensu auditorum. Exposita tribus in locis doctrina Christiana: ad synodum habitae orationes duae. Duo e Nostriis Catholicorum castra secuti, duos haereticos vicinos morti ad Fidem adduxerunt. Ceterum auditum est, adolescentem nostrae olim alumnus disciplinae inter haereticos mortuum, ea constantia, ut in rei sententia vsque ad vltimum spiritum retinenda contempserit omnia aduersa: alterum maluisse tridui perferre inediam, matre omnem cibum negante, quam improbitatis ministros audire declamantes: duos alios graui morbo affectos praoptasse mortem inanibus incantamentis promittentium curationem.

DE STATV aut potius casu Mauriacensis Collegij superiore anno memorauimus. Quippe dissipatis scholis, socijs ad propinqua Collegia dilapsis, remanserunt Sacerdotes duo, cum tertio lai-

co : bona pars Collegij a Catholicis militibus occupata : ne aliunde hæreticis pateret aditus diligenter prouisum : interea ab exiguo numero, in salutem animorum & corporum, non exiguus fructus. Ceterum Nostros, septem mensibus, in summa difficultate rerum & temporum, circumuentos fame & peste, incolumes fuisse, habitum pro miraculo : sed iustis tandem de causis euocati litteris Patris Visitatoris, amicorum vni rebus Collegij commendatis, ciuibus collacrimantibus, & quoquo modo retinere cupientibus, sub Paschales serias Ruthenos profecti.

### BVRDEGALENSE COLLEGIUM.

**A**D NOSTRUM templum confluentium numerus in dies augetur. aduentant e suburbano multi, & vocamur procul in oppida, causa confessionis. Catholicus ab hæretico duce captus, & accusatus familiaritatis Iesuitarum, & fœderatorum societatis, audacter fassus est Catholicum se esse, de Iesuitis, fœderatisue negauit : sed tamen de Congregatione sanctissimi Sacramenti, in quam dato olim nomine fuisset adscriptus, post hanc egregiam confessionem inditis vinclis conijcitur in scadam custodiam, nec inanem serpentibus. hic aliquandiu cum fuisset, pridie quam adigeretur ad tormenta, boni Angeli, vt credibile est, instinctu, vinculus licet, & oneratus catenis prægrandibus, ex alto se demittit, perque custodes & excubitores elapsus,

sus, ad amicum perrepsit: a quo exceptus, solutus-  
 que, Burdegalam reuertit: statimque in nostro tem-  
 plo grates egit Deo restitutori salutis. In referendis  
 hæreticis in album Catholicorum res cessit ex animi  
 sententia. magna feminarum religio: nosocomia ad-  
 eunt: maritis subripiunt libros magistros improbi-  
 tatis, eosque afferunt Nostri ad comburendum:  
 indicunt sibi ieiunia, & supplicia corporis: prae-  
 roces viros frangunt patientia. hæc communia. illa  
 propria. Ancilla quædam mulier, virili proorsus ani-  
 mo ac liberali, apud nos sacra obiens mysteria, hæ-  
 reticos dominos, magno labore & constantia, vt  
 idem facerent, induxit. Eiusdem ordinis altera cum  
 sollicitantem dominum nec ferre vellet, nec vincere  
 posset, antidotum pestis, quod domi asseruabatur,  
 pro veneno hausit, in remedium ærumna: facti dein-  
 de cum pœnituisset, post quattuor dies crudum ad huc  
 & innatans stomacho eiecit sine noxa. Mulier la-  
 borans vterò cum parere nequiret, a viro cogeba-  
 tur & a medico, vt medicamentum acciperet fetui  
 exanimando: melioris illa medici consilium secuta  
 simulauit haustum: tertio post die offuit Deus vi-  
 uam sobolem enitenti, neutro damno. Hæc pauca  
 de multis. Aliquorum odia, & quidem matrem  
 inter natumque, & duos inter coniuges sepulta. e  
 concionibus qui assolet fructus. cum pœnitentium  
 multitudo, & restitutiones factæ non parui pretij,  
 restantur. hoc in genere res accidit scitu digna: quod  
 cum vnus redderet alteri pecuniam, accipere nec  
 ne deberet, orta est inter eos contentio: cum & il-



le obtenderet præceptum Sacerdotis, & hic se facturum negaret Sacerdotis iniussu. sequitur factum adolescentis, & eodem prope in genere, virginis, alterum altero illustrius. Filius iuriconsulti Societatis nostræ cupidissimus, cum hoc ut sibi permitteretur, fatigasset precibus parentes, illis relictis, ad Nostros profugit. pater illico ad Collegium, filium reposcit, frustra: redit a prandio cognatis, amicis, præside suffultus: præcipuoque certamine animi adversus eum sumpto, nihil aliud agit, quam ut eum confirmet magis in proposito: sub noctem disceditur: postridie redintegratur pugna: libellus supplex Senatui offertur: nec mora: sistitur iuuenis in curia, reque diligenter inspecta, ut per dies quindecim sit apud sequestrem decernitur, constantie probandæ; immo vero apud patrem commodius: adolescens, inquit: octo dies præsumuntur, ut interea & Nostros ad illum, & illi ad Nostros ne claudatur accessus. per illos dies cogitata omnia, factaque, sine effectu: mater precibus & lacrimis, pater minis & verberibus eundem scopulum tundebant: aduocantur consulti, prudentes Theologi, ut quem non poterant acie, agmine obruerent. dat consilium mulier venefica, ut noua omni induatur veste, exuta veteri, ne Iesuitarum veneficia adhærescerent. sed diuina virtus in animo insidebat. mater inops consilij sollempne sacrum pro defunctis curat faciendum, ei filium, & tredecim pauperes pullatos interesse iubet: illa carimonia, an ut parentaret filio, an ut Deo supplicaret, incertum. at pater nihilo segnior

ad

ad Praesidem, quo plurimum utebatur (eo conuocati fuerant propinqui amicique complures) iuuenem adducit, acerrimisque verbis increpat, ingratum appellat atque impium, qui exuerit obsequium in parentes: & (quoniam erat inexorabilis) seui prorsus ingenij, & qualibet fera crudeliorem. tyroni nostro surda ad haec omnia aures: mentem videlicet verus pater implebat. elapso octiduo iuriam sui se domo proripit, nec latuit matrem intentam, ac petentem voce, quem gradu non consequitur. hic prudens adolescens, metuens rixam, domum reuertitur: statimque compingitur in cubiculum, prohibito egressu: hinc porro, incustoditus cum esset, desiliens e fenestra, ad nos aduolat: sic tamen, ut suspicax mater paene praeuerterit: sed ipsa quoque furore licet amens, Collegium irritis clamoribus, & pulsibus ianuam insectata cum esset, ad extremum, re conclamata, discessit. paucis post diebus, minor germanus frater, cum ad eum accessisset, fito sermone, narrauit alterum quemdam, cuius eadem causa eodem tempore disceptabat, de priore mente deductum. Verum, seu non crediderit factum, seu spreuerit: Cesserit, inquit, iste, deficiat alius quicumque, vel ex ipsis proceribus: mihi, quo plus difficultatis ostenditur, pulchrior erit perseuerantia. Conseruet Deus iuueni animum quem dedit. ruunt enim quamuis rectae mentes, nisi diuina ope fulciantur. Hac de adolescente, sequitur exemplum virginis admirabile. Adolescentula quaedam natione Angla, patria Leilanda, parentes habuit mo-

dicos facultatibus, religione varios, & discordantes. mater ab hæresi sub vitæ finem se recepit, pater post uxoris obitum a Catholica fide degeneravit, auctorque idem erat filia hæreseos sectanda: at ipsi lectione Catholici Catechismi & hortatu Sacerdotis, Deo adspirante, aliud agebat: baptismum quem a ministro hæretico infans acceperat, ritu Catholico adulta correxit: ex quo tempore tantum puellæ animo roboris accessit, nulla ut ratione ad hæreticorum sermunculos adduci posset, quos antea non invita deuorabat: nempe memor vitæ antea placando numini solum intenta, iniecta interea cupiditas haud dubie a Spiritu sancto, adeundi Romam, Catholici caput imperij, tot Sanctorum non magis impressam vestigijs, quam sacratam sanguine, ubi peccatorum veniæ spes facilis ostenditur, & aperitur via. Verum, ut in re magna ac difficili, cum seipsa explicare non posset, ne temere quid ageret, de presbytero quodam, & duabus præterea mulieribus, hæretica vna, altera Catholica, exquiri sententiam. placuit consilium, modo viaticum ne deesset. hoc neglexerit illa, aut non habuerit, in incerto est. igitur certa discedendi, parentem orat, liceat inuisere auunculum: nec procul aberat in altero oppido: cum exorasset, aliud iter agitans, attonso capillo, fraterna veste, & leuiter immutato nomine, ut pro Ioanna Ioannes diceretur, puerum simulat: hoc habitu, breui traiectu in Hiberniam venit, ut quæ prima in Galliam Hispaniamve nauigandi facultas esset, ea vteretur, in Italiam proxi-

me transmissura . hic dum moratur , emendicato cibo , cum alijs pueris scholas frequentat . post duos menses inuenta commoda occasione , mense Maio Burdegalam appellit . incidit in Sacerdotem Hibernum : ab eoque ducitur ad Nostros , vt afferrent si quid possent opis adolescenti , quemadmodum & alijs multis , qui verterunt solum , causa religionis . assignatur ei locus in hospitali domo Sancti Iacobi ad nocturnam quietem : suppediatur diurnus cibus e Collegio : in assiduas propterea preces liberius incumbebat , vt omnes mirarentur . sed nihil fictum , diuturnum . abierant duo menses , cum Praefectus hospitij ex eminentiore quam quantum esse soleat in maribus , pectore , id quod erat suspicatus , suspicionem suam affert ad ianitorem , mox etiam ad Rectorem Collegij : hic confestim ad hospitium : tum re comperta , obiurgat vehementer hospitem lacrimantem : & percunctando reperit causam simulationis : neque improbabilem faciebat modestia vultus , & assiduitas sacrarum precum . questum de Ioanna , malitne in caenobio virginum tutius deseruire Deo , quam incertum iter capessere : nihil erat illi optatius : duriores se praeuere primo praesides caenobij , sed acquievere tandem similibus veterum exemplis . collata dos & supellex sipe collectitia : magnaue illius diei celebritas & laetitia fuit . quin etiam nunc gratulantur virgines , & grates agunt de nouitia , quam veteranae amulentur . Ceterum rogante Basatensi Episcopo excursus Quadragesima in vicinum oppidum ( Montem securum appellant ) se-

ptimum iam annum fuerat in potestate heretico-  
 rum : nunc tandem redierat pactione ad Catholicos  
 oppugnantes . ita non minus docenda Fides , quam  
 heresis dedocenda . libris hereticorum exustis suffe-  
 rti Catholici : restituti ritus aboliti contemptu . ex  
 hereticis duobus omnia miscentibus , vnus cefferat  
 sponte , expulsus alter , qui remanendo stultitiæ adie-  
 cerat impudentiam . duorum fratrum inter se dissi-  
 dentium sedata discordia . templum instaurari  
 cæptum : diuerant videlicet heretici  
 obsessi : sic , vt lapides comporta-  
 rentur ad refectionem mu-  
 rorum : ad tormentarij  
 pulueris confe-  
 ctionem  
 mortuorum ossa concrema-  
 rentur .

PROVINCIA  
ARAGONIA.



EGUNT IN HVIVS Pro-  
uincie, vt de ea seorsum a Sardinia  
dicatur, sedibus nouem, socij vnde-  
trecenti. Valentie in Domo Professæ  
vnus & tringinta: In Collegio tri-  
ginta octo: Gandiæ quinque & vi-  
ginti: Casaraugustæ quinquaginta: Nouem Bilbili:  
Totidem Tarracone: Barcinone triginta quattuor:  
Balearibus duodeuinginti: Gerundæ viginti sex. Obie-  
runt quinque: Duodecim nobiscum Societatem  
inire.

PROFESSA DOMVS ET COL-  
legium Valentinum.

DE VISITANDIS, adiutandisque ijs,  
qui in nosocomio maximo, ergastuloue atti-  
nentur, ijs etiam qui in lectulo suo moriuntur, aut in  
patibulo, quæ scribi possent, communem licet modum  
prætergressa, omittantur, quia communia. Congrega-  
tio Spiritus sancti ( celebratur hæc domi nostræ ) in-  
dies augetur numero, & fructu: inter cetera adsciuit  
præclaram illam consuetudinem, singulis hebdoma-  
dis, omnes, qui sunt in carcere inuisendi, opibusque  
leuandi: eamque seruat magna cum admiratione ci-  
uium, & vtilitate vincitorum: quorum aliqui illius  
auxilio

auxilio soluti. Conciones Quadragesima frequentissima fuerunt, magnaue animorum salus consecuta: permouit ea res audicores, ut promouerent templi edificationem: promissi aurei bis mille quingenti, & iam contribui cæpti. collata præterea multa suppellex, & lauta.

IN VALENTINO Collegio ad scholas Theologiæ duas, accessit Casuum conscientiæ, magno concursu audientium.

GANDIENSE, CAESARAVGV-  
stanum. Bilbilitanum Collegia.

COLLEGIUM GANDIENSE, hoc quoque anno, tum vrbi ipsi, tum vicinis etiam oppidis, seu templum spectes, seu gymnasium, vsui fuit. Templum porro eximia Ducis liberalitate auctum, dono admirabili, particula sanctissimæ Crucis, quam includi iusserat in cruce e solido argento: Ea a templo maximo ad nostrum delata est supplicatione per celebri, ingentique letitia totius ciuitatis. auxit dici celebritatem magna vis cultorum poematum pro templi foribus affixa. Gemina fere pompa, parique letitia, multas reliquias Sanctorum in ipsa notheca ingentis pretij, Ioannes Ducis frater, eius in nos beneuolentiæ æmulus, curauit perferendas. ex eo maior religio ciuium, atque erga nos obseruantia. Duo, qui per quinquennium ficta reconciliatione amicitia dissimulauerant odium, vno e nostris pro-

curan-

curante in gratiam penitus redierunt, simulatione  
 discussa iucundum id spectaculum ciuitati fuit. alter  
 item abductus a pertinacia persequenda iniurie,  
 quam ab inimico acceperat: eamque ob causam hic  
 e carcere liberatus. pari sedulitate, vir magna cla-  
 ritudine generis ad frugalitatem: & peiore fama  
 quam forma mulier vna, atque altera ad amorem  
 pudicitiae reuertit. Discipulorum numerus magnus:  
 ex ijs non pauci liberiori vitæ Religiosam præopta-  
 runt.

AVCTVS CAESAR AVGVSTAE  
 confessiones excipientium numerus auxit numerum  
 confitentium. missi diebus maioris ieiunij quattuor  
 Sacerdotes in vrbes huius regni duas, magno com-  
 modo illarum: institutum in altera Sodalitium ad-  
 uersus lasciuiam iurisiurandi: persuasum optimati-  
 bus, vt vicissim diebus singulis carcerem lustrent,  
 inopesque reficiant cibo. alijs præterea temporibus  
 anni, quattuor alij in varias partes dimissi. acer-  
 bissimis odijs dissidentes duo, reconciliati: horum  
 alter non multo post generalem Confessionem amisso  
 linguae vsu decessit. pacatus vir alius omnino turbu-  
 lentus oratione nostrorum. quodam in oppido inuen-  
 ta medicina tollendo iuriurando, vt quicumque  
 audierint temere iurantem pueri virique, in Dei  
 laudem certatim prorumpentes ruborem incutiant  
 homini, & pudorem afferant sacri nominis violan-  
 di. Ceterum in vrbe tripartita beatæ Virginis So-  
 dalitas pietate certat, & Christianis officijs. res  
 etiam Collegij vineto aucta, & oliueto.



BILBILI adolescentes duo in Societatem  
adsciti.

DOMVS PROBATIONIS TAR-  
raconensis & Collegium Bar-  
cinonense.

C O N C I O N A N D I munus in templo ma-  
ximo, quod antea Franciscanorum erat pro-  
prium Dominicanorumque, sponte Cleri & ciuita-  
tis, cum Patribus nostris communicatum: nec sine  
fructu. exceptæ confessiones plurimæ: compressa  
mala iuuetata, & repressa nascentia: muliercu-  
la duæ dissolutæ, ac perditæ, cum ad eadem nostram  
diuino instinctu venissent, se ad bonam frugem re-  
cepere. Archiepiscopus nostris vtitur: eorumque  
opera effectum, vt segregati quidam a communione  
Fidelium, sese pastori suo demisse subijcientes, ab  
eoque recepti peramanter, ad Christi septa reuerte-  
rentur.

B A R C I N O N E Maria Manriques & De-  
lara Ducum Naiaræ filia femina spectatissima, &  
antiqui prorsus exempli, fundatrix Collegij, cum  
annorum esset trium & septuaginta, e diuturno mor-  
bo ac difficili, quem sane quam patienter pertulit,  
ad Deum, cuius amore præcipue flagrabat, vt con-  
fidimus, euolauit: reliquit nobis aureos annuos quin-  
gentos. ex aliorum præterea testamentis duo mil-  
lia ad Collegium peruenerunt. His atque talibus  
subsi-

*subsidijs domus amplificata, ad hospites, quorum  
 visitata hic frequentia navigandi occasionem expe-  
 ctantium, accipiendos. celebrantur scholæ quam ma-  
 xime. litterarium certamen obitum magna cum lau-  
 de. ingens e concionibus fructus. extracti multi e  
 cæno vitiorum. adolescentulæ duæ immodicum or-  
 natum corporis ad animi transtulerunt, a sæculi æstu  
 ad religionis portum appellentes. habitæ conciones  
 ad prostitutas, & earum aliquæ ad studium virtutis  
 erectæ: præstitum sollemne officium valetudinario,  
 carcerique. hinc magna in nos caritas multorum:  
 cuius ope effectum, vt ciuiles motus duo sedaren-  
 tur, ituri in periculum ciuitatis. nobiles viri duo a  
 mutua cæde deterriti. ex ijs, quos educat Sodaliti-  
 tium Deiparæ, duo in Societatem nostram nomina  
 dedere. Episcopi in nos amor minime vulgaris: eique  
 respondemus officijs, quibus possumus. supra alias  
 Catechismi explicationes, eo rogante, additæ duæ ad  
 confusam plebem videlicet instruendam. instituun-  
 tur præterea initiandi sacris, destinatique confes-  
 sionibus audiendis. per duos menses hoc officium te-  
 nuit. obita etiam hæc diœcesis aliæque conterminæ  
 notabili cum fructu. Ausetanus antistes suum lu-  
 straturus agrum præmisit e Nostris duos ad animos  
 præmuniendos: & frugifera tum illa præcursorio, tum,  
 quæ sequuta est in populofo quodam oppido, bime-  
 stris commoratio fuit. Ceterum res accidit omnino  
 admiranda, quam paucis exequemur. Turca Cirten-  
 sis, cum annorum esset quadraginta captus a Chri-  
 stianis, & a præfecto classis regie, Fundatrici no-*

stra dono datus, decimum iam annum libertate caruerat: cum interea ad Christi fidem aspernaretur voces cohortantium: perductus est & in Collegium, irrito euentu: sed tanta hominis pertinacia maiore quadam machina erat perfringenda: igitur nocte quadam aliud agitati obiecta species Christi totum cubiculum fulgore suo illuminantis, & audita vox Christianum fieri iubentis: edicebat ei nomen, precipiebat Sacerdotem, cuius iussui obtemperaret: quem cum ille ab vrbe diceret abesse (& aberat) responsum est postridie rediturum. nec vanum fuisse admonitum, & reditus Sacerdotis, & mutatus Maumetani animus, & eiusdem docilitas ad percipienda Christiana mysteria, & assiduus hominis fletus identidem memorantis illustre visum, ostendit.

GERVNDENSE COLLEGIVM,  
& Balearicum.

**G**ERVNDA tres excursiones fructuose extiterunt. Prima quidem Dortusam Episcopo postulante: hic tradita Christiana doctrina non pueris solum, sed populo vniuerso: conciones deinde habitae tanta approbatione, vt discedentibus Nostri, sibi a lacrimis non temperarent, reuersionem orantes. Altera in Gerundensem diocesim. Postrema vtilissima. Adiuuit voluntatem popularium Nostrorum modestia, qui cum in xenodochium diuertissent, inde nullis vniquam multorum precibus abduci

abduci, neque vt acciperent munera, vlla ratione adduci potuerunt: igitur & Episcopo, & nobis gratia acta. in vrbe magnus fructus confitentium: viri multi, mulieresque, Religiosorum ordines: ex illis, nouem, Capuccinorum complexi. Cum premeretur Collegium ere alieno, cogitabat de imminuendo per aliquot annos numero collegarum, scholisque claudendis: is rumor cum percrebuisset, ita percussit animos ciuium, vt vltro polliciti sint as alienum nostrum dissoluere: & constituerint annuos redditus, quibus decem, duodecimve scholastici sustentari possint. ergo inchoatum Philosophiæ curriculum, cui dant operam vndecim e Nostris, & externi non pauci. gratum id ciuitati, quæ & viam publicam concessit Collegio extruendo, eiusque angustijs dilatandis.

BALEARICI Collegij & Philosophiæ schola, cui factum initium, & vetus Humanitatis, excellent. Die assumptæ Virgini sacro epigrammata discipulorum ad templum maximum delata, affixaque in Sacello Deiparæ, mirifica gratulatione Episcopi & ciuitatis. Ex auditoribus non pauci in varias Religiosorum familias accepti: multi expetunt nostram, & expectant. Quidam ferocis alias, ac turbidi ingenij, cum ab inimico alapam accepisset, maxillam alteram obtulit, secutus Christi præceptum, adeo iniuriam non iniquo animo tulit. Coemptæ ades Collegio extruendo acribus iniurijs: lectissima quædam femina tria aureorum millia moriens legauit: nec deest liberalitas ciuium reliquorum.

## SARDINIA.

**S**ARDINIA Aragoniæ addita numerat locis quinque (accessit enim proxime Alqueriense Collegium) socios quattuor supra centum. Duorum obeuntium vicem explevere decem.

COLLEGIUM SASSARITANVM  
& Caralitanum cum Domo  
Probationis.

**I**N COLLEGIO SASSARITANO cum augetur quotidie cætus Parthenius, congenerat. Hinc oblata Probationis Domui quinque: ex eorum numero theologus Sacerdos vnus. Aeris restitutiones, pauperum victorumque procurationes, morum correctiones, dissidentium pacificationes, vt alijs annis: vna super ceteras, duorum virorum nobilium huius regni facile principum. Templi, Collegijque edificatio procedit impensis hominum piorum. excursus in multa loca non inutiliter. Alquerium maxime: vbi multi viriusque sexus, & inter se, & cum Deo in gratiam rediere.

**S**UB INITIVM anni cum Caralitanus antistes venisset ad urbem, exceptus a ciuibus ipso ingressu per honorifice pulcherrimo dramate, & ad capita

capita viarum fere omnium, varijs carminibus, singulari artificio atque ingenio vnus e Nostris. Episcopus porro ipse Nostrorum opera libentissime vtitur ad vtilitatem animarum. eorum concionandi rationem de fructu magis, quam de plausu laborantium vehementer probat: cum illis egit, vt ter hebdomada in templo maximo parochis, clericisque explicarent quaestiones de officijs Christianis, in suburbana oppida excurrerent: & fuit vtrumque consilium quamplurimis salutare. aliquorum odia sepulta: quamquam in vrbe, patris, & filij, vtriusque dynasta reconciliatio eo admirabilior fuit, & iucundior, quo erat difficilior, & perniciosior metuebatur futura. Caralitani studium emulatur Episcopus Vsellensis Carmelita, quo nihil fieri potest nostri amantius: ad diocesanam synodum duos e nostris Sacerdotes euocauit, & ab altero orationem haberi voluit. Collegium nostrum, quantum quidem pro suarum tenuitate facultatum potest, adiuuare non desinit: cui etiam vasa aliquot argentea, resque alias donauit, ingenti significatione caritatis: similem experti sumus aliorum humanitatem, eorum praecipue, qui Nouitium vnum mortuum hoc anno, cognatione attingebant. Iam de pauperibus, de custodys, de aegrotantibus communia silcantur: quamquam hoc postremum tale est, vt procuratores xenodochij grauissimam sibi fore testentur illam procurationem, nisi a nostris adiuuentur.

CETERVM CARALITANA  
vrbs, vt dictum est paulo ante de Saffaritana, quinque

R

adole-

adoleſcentibus auxit Societatem : ex his vnus magnis opibus, ita habuit matrem viduam, cui erat vnicus, aſſentientem conſilio, vt ad nos ſit ingreſſus, ab ea primum aditu, ianuaque patefacta : & collaudauit enim illa filium, impulitque, ipſique a noſtris introitum impetrauit. eſt autem hic Domus Probationis tribus ante annis a tyronibus habitari cœpta: vbi & veterani aliqui tertium annum explent. Eſt & aliquis Domui prouentus, quem auctiorem propediem ſperamus fore. Nonnulla item derinatur utilitas in proximis, propter amplitudinem vrbs magnam partem a Collegio remota.

**I N E C C L E S I E N S I** Collegio inſtituitur pueri, Caralim deinde, qua vrbs eſt proxima, ad grauiora ſtudia tranſmittendi.

### ALQVERIENSE COLLEGIVM.

**A L Q V E R I V M** vna eſt e maritimis Sardinia vrbibus, ſalubri calo, feraci ſolo, recipiendis nauibus opportuna, proptereaque, negotiatorum Hiſpanienſium, Ligurumque in primis nobilitata frequentia. Hic magna olim virorum nobilitas, & copia : nunc vaſtauit fere omnia peſtilentia aliunde inuecta : & redire cœperunt incola quinquennio ante: ſed, quo ſit res loco meliore, Episcopus Noſtros accerſit: ierunt menſe Iunio, nec contemnendis omnino ſecundis certe initijs : perducti ab antiſtite frequentiſſimo comitatu ad templum, vbi, poſt ſollemne Sacrum decantatum a Canonicis, ſermonem habuit  
ad

ad populum Pater, qui gerit vices Prouincialis, expo-  
 suitque institutum Societatis: deinde orationem La-  
 tinam is, qui erat eruditurus adolescentes: hi statim  
 cōuenere octoginta. data paulo post tragicocomœdia,  
 non solum cum voluptate spectatorum, sed etiam cum  
 fructu: aliqui enim, atque in his mulier, flecto exem-  
 plo aliorum, qui dabant pœnas impietatis suæ, sa-  
 pientiores vere esse didicerunt. e schola statim pullu-  
 lauit Congregatio sanctissimæ Dei Matris, atque in  
 Romanam inseri exoptat. In ciuitate ipsa mirabilis  
 fructus e concionibus: pacati animi: mores  
 emendati: adiuti pauperes: Sodalitium  
 sacrosanctæ Eucharistiæ, quod pes-  
 sum ierat, erectum. Hæc non  
 parua sunt, vt hisce prin-  
 cipijs: sed speran-  
 tur deinceps  
 maiora.



P R O V I N C I A  
T O L E T A N A .



**T**OLETANA Prouincia diuifa  
est omnis in Domicilia quattuordecim,  
continet socios quingentos : in  
Toletana Professorum Domo quadraginta septem : In Collegio  
Madridiano septem & sexaginta : In  
Complutensi cum annexis Residentijs quindecim supra centum : In Murciano quadragintaquattuor : In  
Placentino tres & triginta : In Caruacensi viginti : In Huetensi septemdecim : In Ocaniensi viginti-  
quattuor : In Bellomontensi duodeuiginti : In Con-  
chensi quindecim : In Talabrycensi vndeuiginti : In  
Toletano tredecim : Totidem in Securitano : In Do-  
mo Probationis Villaregiensi quinquagintaquat-  
tuor . Tredecim e vita migrarunt . Ad Societatem  
venerunt vigintiduo .

T O L E T A N A P R O F E S S O R V M  
Domus & Collegium Madridianum.

**S**A CRAM supellectilem auxit vir nobilitate ac religione excellens Canonicus Ecclesia Toletana aureis quadringentis : eleganti insuper veste, vasisque argenteis, quibus ad rem diuinam utebatur, testamento relictis . Pium Sodalitium , et Sacerdotibus multis, virisque nobilibus , captiuorum  
subsi.

subsidio institutum : æris alieni facta sæpius restitutio: concubinas amandauere nonnulli : nec defuere qui toto anno confluerent in templum verberibus corpori castigando. Missi de more extra urbem Sacerdotes decem, redieruntque totius vitæ confessionibus pluribus exceptis. Quodam in oppido, feria quinta maioris hebdomadæ, viri principes vetus odium osculo sinierunt, sed & femina primaria mariti, & pater filij, eadem intersectoribus remiserrunt: domus quædam officina turpitudinum clausa: pellices exactæ: aliaque præstita, quæ & me tacente intelligi possunt.

MADRIDII conciones habitæ continenter a quattuor e Nostris pluribus in templis: nec raro ad Regem, sororemque eius Augustam seorsum, auctæ scholæ discipulis centum, vt iam sexcenti classibus pæne non capiantur: magnus omnium progressus: sed, qui e Sodalitio Parthenio, antecellunt: reuertit ad suos dominos pecunia, quam fraus interuerterat: femine aliquot e cæno libidinum emerse. Missus quoddam in oppidum Sacerdos, strenuam in extirpandis vitijs, inserendis virtutibus, operam nauauit. Congregationem Deiparæ instituit addita lege menstruæ communionis: tanta hominum frequentia, vt, in oppido non ita magno, quingenti numerentur. Idem ad vicinum aliud euocatus, dissidia publica, rixarum semina, compescuit. Ceterum & Collegio addita Cænatio per ampla mille aureorum impensa: & vberes piorum liberalitate elemosyna suppeditantur.

COLLEGIUM COMPLVTENSĒ  
& Murcianum.

**I**N COMPLVTENSI tres morte amissi, admissi tredecim in Societatem, atque ex ijs vndecim adolescentes, pereruditi litteris, & maxima expectationis. Missi in Indias ad Occidentem tres, vnus ad Orientem. Diebus maioris ieiunij se in ade nostra diuerberarunt ad octingentos: in meditationibus exercitij sexaginta, plures futuri nisi locorum angustijs exclusi fuissent. Diebus dominicis referunt Nostri corpora eorum, qui erant in carcere, cibo, animasque doctrina. In vicinos pagos fructuose viginti excurrerunt. Prædium cui a Iesu de monte nomen est, cisterna auctum, horto, multisque cubiculis, vt per æstatem in eo rusticari ad septuaginta non incommode possint.

**I**N MVRCIANO Sanctorum ossa sunt collocata per celebri pompa frequentique, quam infulatus clauderat Carthaginensis antistes. auxere latitiam ingentem adolescentes dialogo pereleganti: carminaque Hebraica, Græca, Latina, Hispanica, in templi parietibus affixa. Generali Confessione expiarunt animum trecenti: nonnulli genere iuxta & scelere nobiles ad optimam frugem conuersi: quidam colaphi in foro accepti iniuriam percussori remisit. Nostrorum rogatu, germani fratres duo, inter quos ira olim implacabiles, in gratiam redierunt: propinqui item duo, cum mutuis accensi odijs, quæ inter  
proxi-

proximos solent esse acerrima, vterque alterum homicidij-incusasset, retractatis criminibus, & reconciliata amicitia, damnationem capitis euaserunt. plenus quidam cum imposuisset sodali suo atrocitatem criminis, damnatumque pœnam sequi oporteret, vt igne cremaretur: de Nostrorum consilio adductus est ad accusationem in iudicio reuocandam: quamobrem patefacta lux veritatis: magnoque ciuitatis gaudio, dissecta calumnia nube, innocens liberatus. Numerus sodalium beatissimæ Virginis, & studiosorum indies augetur: nec defuerunt ex ijs, qui expetierunt Societatem, relictisque humanis rebus, ad diuinum obsequium in cœnobis properarunt.

COLLEGIUM PLACENTINVM  
& Bellomontense.

**P**LACENTINÆ in gymnasio discipuli trecenti. Placentinus antistes, præsulque Curienfis, erga nos valde affecti. Vtriusque diœcesim sex nostri Sacerdotes pro tempore lustrarunt: quæ ab illis gesta, etsi multa magnaque, quoniam tamen sueta & communia, sileantur.

EX BELLOMONTENSI Collegio, post Philosophiæ Curriculum, ad Iaponios vnus, ad Mexicanam Prouinciam tres, summa ipsorum voluntate profecti. Discipuli omnino sextenti. Decima eorum pars se Deo consecrauit: ex his duo in

nostrum ordinem adlecti. Vltimo damnandus supplicio, etsi iam diu, vt ne perciperet salutis sacramenta, in recusando perstabat, victus oratione Nostrorum, & alacri animo fecit quod negabat, & forti pertulit quod debebat. Cum duo e Nostris de more peregrinantes, opportune, vt in quosque incidissent, ad expiationem peccatorum hortarentur, deterruerunt duos a cogitatione homicidij, ad quod vna iter intenderant. Fundatrix auxit templi instrumentum cruce, acerra, lipsanoteca, ex argento, alijsque rebus ingentis pretij.

### CONCHENSE COLLEGIVM

& reliqua.

**C**ONCHÆ viri primarij ad amicitiam reducti: reddita veris dominis aureorum duomillia: muliercula sex questum corporis cum matrimonio mutarunt.

**TALABRICÆ** discipulorum consentiumque numerus auctus.

**I**N OCA NI EN SI, Huetensi, Toletanoque Collegijs idem. In Ocaniensi hoc amplius, propter Sodalitatem, in qua iam censentur centum & quinquaginta.

**I**N HVETENSI mira omnium letitia pacificati viri nobiles: quod saepe alias tentatum erat a multis, maiore conatu, quam effectu. Vi concionum a contubernio pellicum nonnulli ad meliorem vitam traducti.

IN TOLETANO supra quadringentos erudiuntur discipuli quinquaginta: omnium pietatem admiratur ciuitas, eorum magis (non pauci fuerunt) qui Religiosum viuendi institutum sunt amplexi.

VILLAREGII femina erat multis illecebra peccandi: hæc cum admonitu Nostrorum emendasset vitam, primum bonis gaudio, mox cum Christiana cum morte commutasset, admirationi omnibus fuit.

IN CARAVACENSIS Securitanoque, eadem pane, quæ in alijs. Sed in Caruacensi, quoniam obiit virgo, quæ apud nos Sacramenta frequentabat commemorabili exemplo, de ea, quod incundum erit auditu, aliquid attexam. mirum enim est quibus eam artibus, & sutelis oppugnarit diabolus. primum quidem vt terrorem iniiceret, serpentem terribissimum induebat, dein canem: ad postremum obtulit se humana specie veste ad talos demissa: eamque a frequentia precum, & Sacramentorum, vehementer debortatus, saltem vt a Nostris abstineret, admonuit: alterum enim se Sacerdotem daturum magis idoneum. persæpe eius vocem clarissime exaudiebat. Cur tenerum corpusculum inedia conficis, & vigilia: cur atteritur flagris & cilicio interiore? frustra hic omnis tibi consumitur labor, infernis cruciatibus addicte. Cui illa. Quid me futurum sit, vbi expirauero, Deus viderit: ipsius opus sum: ego quidem, dum spirabo, in eo sperabo, & hoc laborabo vnum, vt illi seruiam. Quin & aliquando filium Rosarij, quod habebat ipsa in manibus

vi correptum rupit, vt calculi dispergerentur: increpuitque atrociter, ne amplius vteretur. sacras præterea cubiculares imagines digito commonstrans tolli iubebat: vbi mollia non processerunt, erecto enim semper, & constanti animo fuit virgo, minas adhibuit, & manuum intentus: sed hæc etiam signo crucis, aqua lustrali, & Iesu nomine inuocato eludebantur. redibat tamen veterator ad irritos assultus: donec tandem virgo assidue trium annorum dimicationi magnum diem imposuit, cum morte vicit. Eius corpus cum propter altitudinem iunium efferrari non posset, per triduum domi iacuit exanimatum, nulla tæbe, ne minimo quidem livore, nec in ore corruptum: color quoque non defluerat. vultum: & tenues undique membra, & cernitudo carnis, vt ceruix, manus, brachia, facies, & cetera, quocumque conuerteres, eadem manebat.

B O E T I C A  
P R O V I N C I A .



E HAC NIHIL accepi gē-  
neratim, nisi adiunctos nobis (ni-  
si fallor) sedecim, vnum morte ere-  
ptum.

HISPALENSIS DOMVS PRO-  
fessa, & Collegium.

**N**ON IN TEMPLo Nostro solum, sed  
& in alijs, compitis etiam, plateisque, ad  
custodias item publicas, & ad triremes, si quan-  
do hic sunt, concionamur frequentes. valescunt in-  
terea vsus sacramentorum, & dissolutæ multorum  
amicitiæ reglutinantur.

**CONIUNGITVR** in Collegio, gymna-  
stioque, vt par est pietatis studium cum ardore di-  
scendi. e Nostrijs, qui tertium quartumve annum  
Theologiæ operam dederunt, vicatim erudiunt ple-  
bem. Vnus præterea Sacerdos pueros in publicis  
scholis, ad ea, quorum cognitio est animæ necessa-  
ria. Doctrinæ Christianæ instituta Congregatio in-  
ter ceteras nobilis. conueniunt in gymnasium sode-  
les diebus festis & instituuntur caelestium præcepto-  
rum disciplinis. Externi ad nos ventitant nongen-  
ti: & tum omnes, tum maxime, qui se beata Vir-  
gini



gini dicarunt (ij sunt circiter nonaginta) in timore Domini iecerunt fundamentum sapientiae. hi, egros in ualeudinario, vinctos in carcere, aduunt, iuuantque, rudes obuios docent, at temere iurantes coercent. Ex hoc gymnasio, decem (e quibus vnus, dissuadentibus multis. & parente mirum in modum altercante, singulari exemplo explorata constantia est) sex e Sodalitio, in Societatem venere: in alias Religiosorum familias, fere septuaginta. e Nostri quinque in Indiam profecti. De rebus Theologicis ter, bis de Philosophicis est publice disputatum. declamationes a rhetoribus sapius habitae. Quotannis in templo maximo, ijs, qui scribenda oratione, pangendo ve carmine ceteris antecellunt, proponuntur praemia: magnam eorum partem hoc anno discipuli nostri tulere, sed insignis omnino supplicatio non est praetermittenda. Ea decreta in apparatu bellico numini placando, adolescentes e caetu sacro Mariae Virginis, eius imaginem praeportabant candenti vexillo: purpureo, effigiem Sancti Herminigildi (a quo nomen Collegio nostro) reliquum agmen discipulorum: Nostri Christum affixum cruci pulcherrimo ordine praeferebant. mille interim faces faciebant conspicuam pompam. ea totam urbem non sine admiratione delectauit. Nec defuere ex hoc Collegio missiones nostris laboriosae, vtilis oppidis, ad quae mittebantur. pax restituta inter multos, inter duos praecipue, qui populum diuiserant. vir etiam, Nostri hortantibus, consilium interficiendae uxoris abiicit.

GRANATENSE COLLEGIVM  
& Cordubense.

**P**RÆTER forenses conciones, & vsitatas  
nosocomiorum curationes, carcer vnus, atque  
alter, alternis mensibus apud nos peccata confiten-  
tur. diebus festis obeuntur mane compita: & quis-  
quilia plebis, quibus res diuina nulli curæ, eam vt  
audiant, adducuntur ad templum fructu non con-  
temnendo. offensæ complures Nostrorum rogatu  
remissa: expeditiones multæ in adiacentes populos  
susceptæ. Sed emicuit Complutensis. Duo Sacerdo-  
tes huc missi: cum permagna hominum multitudo  
conflueret causa confessionis, viros vnus, alter mu-  
lieres audiebat confitentes, vt respirandi locus vix  
esset: prauæ aliquot consuetudines abolitæ: inter  
has illa, qua incedebant mulieres velata parte oris,  
vel quia sic putarent decere, vel ne satiarent aspe-  
ctum. vna concione puella duæ tanto amore virgini-  
tatis incensæ, vt nec matrum blanditijs, nec pa-  
trum minis potuerint a suscepto religionis proposito  
absterreri.

**C**ETERVM templo peramplo & capaci ex-  
trema fere manus imposita. est illud e solido saxo,  
exceptis fornicibus sacellorum: & est iam sacris  
faciendis dicatum: vt fuit ex ade veteri, insigni ap-  
paratu, & notabili celebritate, frequentiaque ci-  
uium præcipuæ nobilitatis translata Eucharistia.  
Magno erat in are alieno Collegium, resque eius  
fami-

*Alcala  
Lana*

familiaris angusta: sed Deus iniecit mentem pecunioso mercatori, cui nobiscum nulla familiaritas: is sex aureorum millia cum dedisset sponte, collaudata videlicet nostra vitæ integritate, aliosque adiuvandi diligentia (sic enim dicebat) satisfactum est creditoribus nostris.

C O R D V B E N S E Collegium celebrant discipuli mille. Philosophiæ curriculum inchoatum magna frequentia. Theologica theses ter defensa, ad nova impositum fastidium: breui illuc sacra deferentur. compita, ergastula, nosocomia, in suo quoque genere non neglecta.

### COLLEGIUM MONTELANVM & reliqua.

M O N T E L A N V M Collegium Domum Probationis adiunctam habet: ita & veterani intendunt se in utilitatem proximorum, & ad idem exemplum tyrones informantur. sacrosancta mysteria obeuntur a pluribus: & quidem Pentecoste, ex occasione iubilæi, communicantes numerati sexies mille. Hic manet mos aliquot annorum vsu receptus, ut quotidie clerici aliquot, virique nobiles veniant in Collegium, ubi secundum lectionem librorum spiritualium, promitur ab uno e Nostris exemplum e vitis Sanctorum, sermoque adijcitur rei ac tempori opportunus. compertum est eam rem esse pluribus adiumento.

Quod

Quod etiam dicendum de excursionibus ad loca suburbana. Sed hæc, atque talia, nemini esse debent ignota.

**E ADEM DE MALACENSI.** Seligam tamen rem vnam e multis. Præfetus classis cum Prætoris urbis de iurisdictione contendebat, lisque erat in graue adducta discrimen, & ut videbatur, non iure, sed ferro, & multorum cade finienda: visum est Deo, ut Nostrorum interuentu componeretur.

**MVLTVS SIM,** si in Gaditano de doctrina Christiana circumforanea, de v̄sitata concione diebus festis, de multiplici missione, de Nostrorum commoratione ad naualia, militarem propter, & nauticam turbam, deque muneribus similibus differam. Cum Episcopus venisset in Collegium exceptus est a discipulis dramate aduentitio, eamque rem ipsi, ciuibusque, acceptam gratis animis ferunt.

**IN XERENSI,** Marcenensi, Sedeque Eccizensti eadem factitata.

**DE TRIGVERENSI** hoc amplius. In Andeualos excursum. hi, oppidis viginti continentur, rudes, & egeni rerum, sine quibus animæ salus acquiri non potest. positum hic trimestre spatium maximo fructu popularium: paces factæ, iniuriæ remissa, præsertim a quattuor, qui persequebantur eadem fraternam.

**IN VAEZANO** Theologiam duo profitentur, bisque de ea, Episcopi, ciuium, Professorum.

rumque publicorum, qui frequentes aderant appro-  
 batione disputatum semel quot hebdomadis in pu-  
 blicum carcerem, itemq. in valetudinarium itum est,  
 magna cum vtilitate vinetorum & egrotantium.  
 hoc vbi primum est animaduersum a discipulis pu-  
 blicæ Academia, conuenere ex ijs multi: eademq.  
 officia præstiterunt excitati Nostrorum exemplo, ex ijs  
 frequentant Collegium amplius trecenti voluntaria  
 verberatione corporis castigandi. Diebus con-  
 secratis Aduentui Domini, vernoque ie-  
 iunio, duo Sacerdotes Vbedam de-  
 finantur proxime consecu-  
 tus est tantus animo-  
 rum motus, vt  
 Collegium  
 Vbedani fundaturi viderentur, nisi  
 difficultas temporum mo-  
 ram cupitis affer-  
 ret.

PROVINCIA  
MEXICANA.

**D**ESCRIPTA EST MEXI-  
CANA Prouincia Collegijs  
quattuor, Nouitiorum præterea  
Domo, Seminario, & quattuor Re-  
sidentijs. Socij ea per loca centum  
oçtoginta duo. Reliqua ordine persequemur.

MEXICANVM COLLEGIVM,  
Seminarium Sancti Ildefonsi,  
& Sedes Tepotzotlana.

**I**N COLLEGIO MEXICANO  
oçtoginta: ex his multi difficultatem Indicæ lin-  
guæ superarunt: quæ res, incolis, adempta per in-  
terpretes loquendi audiendique molestia, est utilis,  
aque, & iucunda. & certe, factum est, Dei beni-  
gnitate, ac labore Nostrorum, vt deprauata multa  
corrigerentur, infirma corroborarentur, lapsa eri-  
gerentur, colligerentur dispersa, turbulenta com-  
ponerentur. ea partim e rerum deinceps subÿcien-  
darum narratione innotescunt. Adolescens litteris,  
& pietati nuntium remiserat, vt liberius voluta-  
retur in libidinum ceno: audita vnius concione emer-  
sit, ac ne prolaberetur iterum, abdidit se in viro-  
rum Cœnobium Deo famulantium. putabat alius dæ-

monum præstigijs sibi licere quicquid collibuisse: hic etiam efficaci nostrorum oratione commotus, voluptates didicit Christianorum præceptorum ratione metiri. Quidam cum scelerum multitudinem occurrentium animo expellere non posset, quasi sublata spe veniæ, impia in Deum, & Calites verba effundebat: respuebant hæc omnium aures: non adhibebatur misero æstuanti remedium: inspiravit Deus per vnum e Nostros auram salutarem, & fecit e turbido tranquillum: vt iam deterfa mentis caligine, studium maledicendi, verterit in benedicendi conatum. Mulier vrgentibus ærumnis ad tedium vitæ compulsæ, tempore, locoque obseruatis, restem arripit, e trabe suspendit, collo aptat, propius nihil erat, quam vt iactaret in præceptis corpus: subijt interea recordatio Mariæ virginis: tum vero lux animo reddita, & patefcunt dæmonis insidia: nec mora, accurrit ad Nostros: abiitque admonita promptior in spem meliorum, & firmior aduersis, consilium iniit viuendi. Mulieres aliæ a turpitudine famæ, & mortis periculo ad meliorem vitam, tutioremque retractæ: multorum iræ discussæ: educti obæratu aliquot e carcere, Nostrorum videlicet opera, laxato debito, vel soluto, vel remisso. Damna ti capite excitati sunt, vt voluntarijs verberibus publicam pœnam præuenterent, eaque res tum spectaculo multis, tum ipsis postea ad pie moriendum adiumento fuit. Quadraginta fontium ad triremes adacti: septuaginta leucarum spatio deni ducebantur circum colla, brachiaque onusti ferro: ijs duo e Nostros

stris opportuno alloquio, comœatu, victuque conuehendo solatio fuere. Ceterum in pauperum hospitali domo, nostroque in gymnasio, vbi magistri nouem, Theologiæ tres, Philosophiæ duo, reliqui polliitorum litterarum, quæ sint effecta, & si magna, omittimus scribere, quia maioribus obruuntur. Aethiopum cura non dimissa. In proprio eorum Sacello diebus festis, totiusque Quadragesimæ conciones habentur, a Sacerdotibus quattuor excipiuntur confessiones, a fratribus duobus explicatur lex Christiana. ipsi deinde integros fere dies ponunt nobiscum de rebus spiritualibus colloquentes: res profecto iucunda visu, & ad fructum animarum insignis. Superest vt de Indis aliqua ponamus. Sancti Gregorij templum est Collegio adiunctum: in eo numquam desinit haberi concio pomeridiana diebus festis: vbi postea desident homines pane vsque ad vesperam perutili occupatione. sed tota Quadragesima tanta fuit auditorum frequentia, vt in atrio fuerit concionandum: etsi in plateis etiam, & compitis, quo confluunt plurimi, Catechismus exponitur. Pestilentia grassante confessionum exceptarum inire numerum haud promptum fuerit: ibamus sponte, vocabamur, expectabamur: tum superfluentem multitudinem, ægri in lectulis ad Collegium deportabantur, viatico, antequam communem inirent viam, instruendi, & firmandi sacramento extremæ Vnctionis: nec deeramus cuiquam, magno perinde caritatis exemplo, vt fructu. Hinc fit, vt Nostros ament Indi, ad eosque accedant fidenter, cum



rerum aduersarum remedium exposcunt. Dominicum vero corpus tanta religione suscipiunt, tamque vbertim manantibus lacrimis, vt etiam acuire possint Hispanorum pietatem. Magna porro res visa, ac mirabiles, in ijs, qui ad nos frequenter veniunt gratia sacramentorum. De his pauca reponentur. In Indam virginem vir impudicus exarserat: eam cum muneribus non pelliceret, nec flecteret blanditijs, in aedes quasdam compulit, vt extorturus quod aliter non posset. hic puella sola cum esset, preces ad Deum intendit. nec frustra. sumpto enim virili animo, ac robore, eijcit ab se hominem importunum impetu violento: is paucis post diebus interijt. ab eius obitu quidam Sacerdos virginem conuenit, querit, an agnoscat iuuenem (illum nominabat) affirmanti. at iste, inquit Sacerdos, ex humanis ereptus est, vulnere sibi, eo die quo vitium tibi offerre voluerat, diuinitus inflicto: iussit orare te, vt sibi ignoscas, sumasque partem ipsius facultatum: remisit, & nuntium, & munus virgo magni animi, ad Nostrosque, oculos suffusa lacrimis, & referens, ea quæ nuntiata fuerant, accessit. Sequitur uita & mors cuiusdam mulieris, cui Franciscæ nomen, prorsus admiranda. In oppido nata erat ab urbe Mexico procul: diuino instinctu Mexicum uenit: ubi cum esset, ad nostrum templum crebro uentitabat, in res caelestes, & utilitates proximorum semper intenta: animo tantummodo uita fruebatur, imbecillo corpore, quasi alieno, ac superuacuo circumdata erat: Dei nomen assidue in ore, quem

unum in pectore, habebat: obiurgabat scelera acriter, castigabat vehementer, admonebat omnes officij sui: in nosocomio versabatur agrotis studiose inferniens, quoad familiares eius morbi paterentur: ij autem vsque adeo graues erant, atque acerbi, vt decem interdum diebus vix gustaret cibum. cum mens interea diuinis visis illustraretur, & perfunderetur gaudijs. quin etiam hoc aliquando narrauit: Incesserat me cupido pernoscendi in vindicandis sceleribus, quæ non expiata essent, vim diuinæ seueritatis: cum interea liberior animus, prostratum corpus deseruit, & memoranda mihi species obiecta. puerum conspicio elegantissima forma, vultuque lætissimo, credidi Angelum custodem: is mihi blande arridens trepidanti, & quid agerem nesciæ: Sequere me, inquit, quod cupis ostendam: tum per deuium quoddam iter, & confragosum, ducit me in barathrum formidolosum sædumque, vbi plurimos excruciatos vidi pænis infandis, dolore intolerabili, quem eiulatu testabantur. inhorruui. ab hoc tetro spectaculo deducor in campum amœnum, ac placidum, quo nullus vniquam, nec celo temperatior, nec solo fertilior, nec florum varietate iucundior: & per viam constratam auro cum essem progressa, affulsit domus non humano condita artificio: aureis columnis sustentabatur, gemmaque radiabat: summæ nimirum pulchritudini, & maiestati debita: vt meæ me deformitatis, atque humilitatis puderet. hæc inter, aspicio virum diuina dignitate, & maiestate excellentem: agnoui terra-

rum, cælique Rectorem, dominum meum: splendorem tamen non sustinui: & deieci oculos pudore victa: paulum cum sustuliffem: ecce tibi mulier incredibili forma, ornatu pulcherrimo, vestituque regali, scilicet Dei Mater, ac Virgo, cui me, vel a primis annis consecraui: facem dextera ferebat late fulgentem: mox cum ad filium accessiffet: Fili non dum, inquit, est tempus vt Francisca apud nos maneat, reuertatur potius ad munia, & accuret pensum: annuit filius parenti, mihique imperat reuertar ad custodiam corporis, simulque rudem gentem commendat doctrinæ Christianæ inijs, bonisque præceptis imbuendam. Ea verba ita mihi hæserunt in animo, vt eorum nec obliuisci, nec meminisse, quin maxima afficiar voluptate, possim. Quin & memorabat in montis vertice oblatas sibi ades e cry stallo, non absimile piaculari globulo, quem in Rosarium indiderat: auditos cantus suauitate vocum, & varietate modorum alternantibus choris longe iucundissimos. igitur vbi ad se redijt, quasi nihil egiffet antea, secum ipsa certans, illuc intendit, vt expoliret rudes, & reduceret errantes in viam. Nempe intelligebat facere se, quæ dominus imperasset, sibi que eam causam producendæ vitæ fuisse: id adeo vel ex hoc cognosces. Vir quidam erat in omne facinus promptus, & quoniam latere diu scelerata non possunt, apud omnes famosus. huius correctionem laborem suum, cum rata esset Francisca, ad eum venit: & diuino spiritus. Quosque tandem, inquit, abutere Dei clementia, quem ad finem effre-

effrenis ista sese iactabit libido? numquam virtutem respicies? semper turpitudine delectabere? non metuis instantis periculum mortis? non t. a. terrimos Inferorum cruciatus, qui te manent, perhorrescis? expergiscere miser, expergiscere, & flagitiorum culpam confessione abole, infamiam mutatione vitæ: numquam sera fuit peccati pœnitentia. Durus adhæc ille, quantoque veriora exprobrabantur, acrius accendi, nec ferre muliebrem reprehensionem, increpare immo illam, & ni obloqui desisteret, minas intêndere. Francisca nihil territa, uehementior insurgit, consumptis que, precibus diuinam iustitiam, quo tardiozem infligit pœnam, hoc grauiorem, inculcat: impunitum nullum v̄quam scelus fuisse. isque mentis ardor verba dicentis sequebatur, vt incenderetur ipsa, inflammari que audientem: cui, & necessitas ostensa ab incerto mortis, & spes a Dei misericordia, & salus a confessione peccatorum. In his atque talibus sese mulier exercebat, sed cum videret deprauatione humane nature valescere illicita, & tardiora esse remedia, quam mala, ea cura ita penetravit animum, vt caperet tadium vitæ, & desiderium æternorum. cum hac cogitatione, vt ipsa cui-dam rettulit, concessit in angulum cubiculi: dein victa in lacrimas, voce supplex, Deum orat animæ excessum e corpore, abrumpat laqueos, laxet custodiam, ne polluant amplius aures, oculosque, tam improba hominum dicta, factaque: sed molestis soluta vinculis tota mente, atque animo insistam in laudes tuas. Intenta numini ea dum precatur, ce-

leri iactu non visa sagitta adhæsit ad præcordia, certo doloris sensu, cuius vi, atque acerbitate cum ad extremum vsque vixisset integris sensibus, defungitur: illud supremum orans, ut vel pro foribus nostri templi corpus sepeliretur. Hac, quæ de Francisca accepi, promere animus fuit, ut non minimum oblectationis afferrent, & fortasse etiam profutura. nunc reliqua persequamur. In Sancti Gregorij templo constituta Sodalitas hominum, quorum, alia nulla cura, nisi ut bonitate, & beneficentia aditum sibi ad calum struant. inserunt amorem virtutis in multorum pectoribus, extrahunt vitia, subleuant egentes, custodias publicas adeunt, sustentantque, eorum uxoribus, cibos quos coxere, ferentibus: secundum hæc reficiunt sermonibus pijs. inuentus, qui conuocatis claudis, cæcisque idem faceret domi suæ. adolescens ab increpito patre vitæ dissolutioris acceptam alapam æquissimo animo tulit, nihil erga eum reuerentia intermissa. Alia huiusmodi de hac piorum Congregatione memorari possent, nisi in rebus, quæ per se ipsæ intelliguntur, raperer studio breuitatis. Ceterum ex hoc quoque Collegio missi in expeditionem duo, ad oppidum, cui vocabulum Zumpauaca: exceptique ingenti lætitia, & gratulatione. a prima statim concione curio aperire nescientibus, & commendare ambigentibus, institutum Societatis: admonere eos, ne oblatam occasionem amitterent tantopere expetendam. uisus est principio frigere populus, & suspectam Nostrorum habere facilitatem: octiduo post depulsa suspicionis caligi-

caligine, veritas enituit: tantus deinde confitentium concursus ad eos est factus, vt pane obruerent audientes. multi distantibus e locis, vt interessent concioni (ea quater habebatur hebdomada) & obirent confessionem, cum vespere se dedissent in viam, in viciniore spelunca pernoctabant, diluculo venturi in templum. agnouit curialium feruorem curio, tantoque acrius accendit. Fuit mulier, quæ bi-duo ante perceptionem panis caelestis seruauit inediam, vt famelicum magis cum corpore animum ad satiantes epulas afferret. non defuere, qui cum antea nunquam communicassent, accepto corpore Domini, fere statim feliciter expirarunt. Sed nihil æque declarauit fructum ab Indis perceptum aduentu Nostrorum, ut communis omnium dolor in eorum discessu. Fit enim natura, vt bona desiderata magis, quam possessa noscantur.

HOC TANDEM anno bonis initijs Seminarium institutum erudienda iuuentuti liberalibus disciplinis: nomen illi a beato Ildefonso. e plurimis, qui vel e centenis ducentisque leucis venire, centum delecti, qui etate ingenioque magis idonei: ijs tredecim e Nostris præficiuntur: atque vt paucis absoluiam, ad exemplum Seminarij Romani: vt iam nunc futurae vbertatem messis e viriditate segetis coniectare possis.

DE SEDE TEPOTZOTLANA ne repetam illa, quæ proximis litteris, seligam vnum atque alterum. Superiore anno ingruit pestilentia agrorum contactu morbos vulgante: ea materia No-  
stris

stris exercenda caritatis. instructum valetudina-  
 rium, interuifi, adiuti, curati, sepultique multi morta-  
 lium, magna superstitum voluptate, & vtilitate de-  
 cedentium, excursum etiam de more. Quodam in op-  
 pido tota fere Nobilitas, praeunte Praefecto, atque  
 eius vxore, de peccatis totius vitae confessa est. nec  
 defuerunt hoc etiam anno quaedam miraculis non  
 absimilia, irrigat enim frequentibus aquis hoc re-  
 cens plantarium suum bonus agricola, dum succre-  
 scentes arbores corroborarentur. Num breuiter collo-  
 cabo. Mulier quaedam, vt sunt fere omnes natura ad  
 pietatem propense, frequenti ad templum nostrum ad-  
 uentu, caelestia mysteria religiosissime vsurpabat. Ea  
 vni e Nostris narrauit: quiddam in familiari sermo-  
 ne, ad hunc modum. Grauissime agrotabam, iamque  
 appropinquabam supremis, deserta ab omnibus, cum  
 puero aequo affecto, socio solitudinis, & morbi: spem  
 omnem, ac subsidium in Deo habebam. Nam illi pre-  
 ces tuli non irritas, videre visa auctorem salutis cum  
 Matre Virgine, duobusque viris ignotis quidem mi-  
 hi, sed eius venerationis, vt facile Sanctos putarem:  
 aspiciebam altare adornatum supra humanum mo-  
 rem, in eoque Eucharistiam augustissimam: tum vox  
 audita. Surge, comede, inceptumque opus tradende  
 mulieribus Christiana doctrina, mox in calum a nobis  
 adducendas, feliciter exple. somnus me repente reli-  
 quit, & morbus, ea mihi causa frequentandi sacrosan-  
 ctissimi mysterij, & explicandae, quoad possum, mulieri-  
 bus Christianae legis praecepta. Et sane, non vanam  
 fuisse imaginem, eius vita, laborque, quae, modica li-  
 cet

cet virium, semper ad pietatem attentâ, numquam cessat in suscepto opere, declarat. In alijs etiam mulieribus, virisque apparuit virtus sanctissima Eucharistia. siue in perferendis contumelijs, siue in repellendis iratorum damonum, seu magis impudicorum iuuenum, assaultibus. Sed hæc, iam Dei beneficio, apud mulieres Indas communia.

COLLEGIUM ANGELOPOLITANUM, Vaxacense, & Alia quædam.

**H**ISPANORVM CLASSIS fæde iactata, constiterat in portu huius vrbis, strage prorsus miserabili. vidisses agmina virorum, mulierumque: qui effugerant naufragium pallida facie, vultuque horrido, pauore, fame, penuria omnium rerum pæne consumpti: quo magis fuit opus ad eorum subleuationem Nostrorum cura, atque industria. igitur occursum vltro venientibus, repletisque iam valedudinarijs patuere principum domus: somenta, cibi-que passim præbiti. Nostri assidere laborantibus, aurem dare consentientibus: illorum corpora, horum animos reficere pabulo: incitare ciues verbo, & exemplo: gaudere inter eos orto certamine, vtrum illi magis sustentarent indigentes ope, an ipsi iuuarent consilio. Itum præterea ad lanificia magno fructu: & ad quædam oppida huius dioceseos: eorum nomina, Otumba, Almeria: hic coronati exceperunt Nostros: & fructuosius laboratum cum illis, quo diutius sa-  
terdo-



cerdote caruerunt. curatum est, vt ne cuius audiretur confessio, nisi capita doctrinae Christianae memoriter recitasset: vtilissimum inuentum, omnibus confiteri enixe cupientibus: tanta apud hos reuerentia Dominici Corporis, vt vix dici queat, quanto cum horrore, & tremore ad illud accedant. quippe persuasum habent, si quis semel rite communicarit, eum amplius peccare non posse. Simili studio, officioque itum Plantzontlami oppidum, habent Indorum amplius centum millia: itemque Taslauzquitepec. Quae vtroque gesta, quoniam officia nostra nobis non possunt esse ignota, praetermittantur.

V A X A C I tum ciuibus amantiſſimis vtimur, tum Episcopo studiosissimo nostrarum rationum: ea nobis calcaria ad currendum in salutem proximorum. Aethiops morti addictus cum adiuuaretur a Nostro, vario sermone fecit, vt num ablutus fuisset baptismate in incerto esset: igitur baptizatus praevia verborum cautione. Gymnasium Humanitatis denovo apertum sollempni caerimonia, laetitiaeque plurimorum. hinc fructus multiplex in pietate, & in litteris. Adolescens ab impudica femina, a qua sollicitabatur ad stuprum, sese proripuit pileo relicto: reiecit alter magno animo dona, quae offeriebantur: cum adhiberet interim asperitatem cilicij, & saevitiam verberum, quo facilius corpus in officio contineret. multi ad Religiones varias appulerunt animum, non nulli ad Societatem: nec defuit specimen litterariae exercitationis. Missiones aliquot ex hoc Collegio factae: illa difficillima, & quod plerumque consequens, vtilissima,

ma, in prouinciam Zutupechenam: ea est arduo accessu, & culcibus infesta: ideoque Sacerdotibus caret: huc ierunt Nostri rogante Episcopo, qui eos ab se dimisit cum lacrimis, præmissis litteris per uniuersam diæcesim, ut benigne exciperentur. facilius est mente percipi, quam perscribi litteris, quæ illic ad Dei gloriam facta. Itum in oppida remota ab alijs situ, cultuque, ut vix homines agnosceres, nomine potius, quam re, Christianos. Illud mirabile, quod cum Sacerdos dominico die Quinquagesimæ timoris ne incutiendi, an diuino instinctu, prædiceret futurum, ut moreretur aliquis, ante Cineralia, & postridie, vnus, cui vita liberior, excussus equo obisset, capite ad terram afflictio: ita conuersi sunt omnium animi, id quod volebat, ad confessionem, ut vnus obitus videretur saluti quamplurimis fuisse.

**E VALLISOLETANO COLLEGIO,**  
Sedeque Veræ Crucis, messis vberissima, præcipue in Veræ Crucis, propter quadraginta nauium Hispanicarum appulsum, & aliarum aliquot cladem, in ipso fere portu, & in conspectu ciuitatis. Missi præterea nonnulli ad populos longe remotos, eoque magis egenos rudimentorum Christianæ disciplina: sunt ad Albaradum flumen. igitur pro tempore edocti, & inuenta ratio, qua a peritioribus identidem rudiores instruerentur.

VADALAXARANA PASCVARENSIS,  
& Manillana Sedes.

**N**OVAE GALÆCIAE Episcopus vehementer nobiscum egit, ut saltem duo Sacerdotes cum socio, secum proficiscerentur: eosque in vrbe habuit ad septem menses: ij concionibus habendis, confessionibus audiendis, ciuibus, clericisque imbuendis ad officia legis Christianæ, lucris animarum persequendis, ita seduli fuere, ut ipsemet Episcopus, Clerusque, decem aureorum millibus: vnus e canonicorum numero, alter e procerum, millibus vterque ternis, constituerint fundare Collegium: emptique reditus annui sociorum duodecim sustentationi: & iam Scholæ apertæ. fructus e ciuitate re ipsa magnus: spe maior ex oppidis adiacentibus, sunt quidem Ethnicorum prædæ assuetorum & bello: sed, Deo aspirante, quantavis asperitas mitescit. Missus hinc vnus, ipsos dies quadraginta additos pœnitentiæ, quodâ in oppido, alter multis obeundis locis, sex integros menses, labore quidem magno, sed fructu maiore consumpsit.

PASCVARI quidem Nostri vestigal nullum domesticum habent, verum ciuium liberalitate fit, ut e rebus necessarijs nihil desiderent: quo magis excitantur ad munia. Placata duorum rabies, alioqui non nisi alterius interitu finienda: exoratus vir, ut ignosceret vxori, quam morti destinauerat. Sed hic quoque, ut alijs ante annis, miranda euenere

non-

nonnulla. Utitur enim Deus clementissimus miraculorum illecebra gentibus demerendis, ut Christianæ Fidei vel libeat nomen dare, vel iuuet dedisse. Deiparæ effigies in nostro templo, de qua proxime est scriptum, habet suam illam venerationem: nec frustratur vocatus piorum. Indam abductam a pulchritudine pudicitia pellacia iuuenis, cum per quietem vidisset se sissi ante tribunal Dei, accusante diabolo, accepimus ad meliora conuersam. Ceterum extra urbem, non pauciora: nec minora fortasse. Excursus est enim ad Chichimecas, populos feros, armisque promptos: adiuti, auditique maxima illorum letitia, & commendatione diuinæ bonitatis. Inda mulier, falsis criminationibus damnata fustuarij, cum eam noctem, quam consecutura erat dies pænæ, consumpsisset lacrimis, precibusque, conspexit feminam in luce plurima, cingentibus latera alijs duabus eximix pulchritudinis: a qua firmata amantissimis verbis, & bene sperare iussa: at ipsa, ubi effugit periculum, se totam diuino obsequio mancipauit. Indum in amorem pellicis ita effusum, ut omnia hominum admonita derisui haberet, Deus ita conuertit terrore iniecto. Ingentibus procellis effundebatur imber nocte intempesta, cum turbidus nimbus incubuit tecto occultanti flagitium, & inter cæli fremitum, ac tonitrua, abruptis nubibus, ingeminante igne, ter vox audita: Confige, interfice: ter cecidit fulmen tanto fragore, ac strepitu, ut domum totam concusserit, horrendum in modum: illæsis corporibus, conuersis animis ad salubrem pœnitentiam.

Ergo Indus hac violentia victus. Maior adhibita machina ad Indam expugnandam. Hac olim, cum quod facere, aut pati posset turpiter, luxuria, ac libidine, nihil infectum relinqueret, vnius e Nostris sermone resipuerat: sed postea, muliebri leuitate, seu inueterata consuetudine, animum ad scelera precipitem non potuerat sustinere. igitur illi excitanda immisum a Deo admirabile hoc somnium. videt iuuenem multo conspicuum lumine, specieque humanum modum prætergressa: vestis illi candida, & Crux radians in fronte: ab eo, per abruptum iter tenebrisque obsitum ducitur in præaltam voraginem, qua nihil magis clausum ad exitus, nihil magis septum: vasta erat fornax, &, quod magis mirum, caliginoso igne: per malignam tantum lucem conspiciabantur quamplurimi volutati in flammis, cruciatu, formaque pœnarum prorsus inenarrabili: audiebantur ploratus virorum, mulierumque, & ululatus ita horrifici, vt auribus ferre non posset: hunc locum, is, qui ducebat, Infernum vocari respondit: cum ire pergerent, venerunt ad lacum depressæ illius altitudinis, vbi in paludibus igneis multorum animæ varie torquebantur: cædebantur uirgis ferreis: adalligatæ ad equorum caudas in diuersa raptabantur: ex arboribus suspendebantur: aliæ vncis ardentibus impacto veru torrebantur: nonnullæ flammabantur in scrobe effossæ: multæ laniatæ, lacertaque iacebant, abiectæ ostentui: distinctio pœnarum ex delicto erat: ita dicebat iuuenis, & locum esse purgandis criminibus post mortem. vbi emerunt

ferunt e tenebris, locaque difficilia superarunt, de-  
 uenientibus in opacum ingum uiridissimi nemoris,  
 quod ether largior purpureo lumine uestiebat ( eas  
 facile existimauit esse beatorum sedes) aperit se illis  
 regia auro, gemmisque ad magnificentiam exulta:  
 ipsius in uestibulo pueri duo, ueste, candorem niuis,  
 facie, splendorem Solis superante: agnouit mulier fi-  
 lios suos in ipsa pueritia olim defunctos: ingredi si-  
 mul cupientem & complecti, aditu comes prohi-  
 buit, ut inquinatam, & adhuc uiuentem: & acce-  
 pta uisio admonitionis loco. admirabilis profecto,  
 ut praedixi, & tanto magis, uti acceperam a com-  
 mentarijs Nostrorum, his annalibus tradenda. Ergo  
 haec de excursionem ad Chichimecas. Sequitur altera  
 difficilior, & amplior, in regionem uidelicet calore  
 intractabilem: etiam Decembri mense flammam  
 vomit, nebulis perpetuis abundat, montibus aspe-  
 ris, ac sterilibus clauditur, uenenatorum animalcu-  
 lorum bipedum, & culicum ingenium ferax, quin  
 etiam crocodilorum, ferratis dentibus, acumine, &  
 magnitudine formidandis, & quod mirum est, in-  
 formis terra, atque horrida hominum ingenia non  
 efferauit. mites ipsi, ex cultique legibus, & aduer-  
 sum hospites humani: nudi pectora, humeros pictis  
 linteaminibus operti: flabella in manibus plumata  
 laborioso artificio. neque enim lasciuit gens otio,  
 uarijs exercitationibus, uenatui praecipue intenta:  
 ceterum nefariis olim superstitionibus addicta: nec  
 ita pridem illata lux Euangelii: ebrietatem auersan-  
 tur sponte, seu quia infructuosa uites uina uix ad bi-

meſtre ſpatium ferunt. & exceperunt Noſtros men-  
 te benigniſſima, eam que ferentes uultu, ultro caden-  
 tibus lacrimis, nec mendaci ſermone teſtabantur:  
 adiecere opportuno munere inſtrumenta, leuando  
 calori, culicibusque abigendis: ſtatimque deſiderio  
 emendationis uitæ ita æſtuare cœperunt, ut plus  
 animi calerent diuino igne, quam æſtu corpora ex-  
 terno. læti alacresque ad conciones uentitabant:  
 pœnitentiæ ſacramentum uſurpant, crescente ſingu-  
 lorum ardore ex mutuis hortatibus, & exemplis:  
 præueniebant oppida adeunda noſtrorum aduentum,  
 & præparatis ad confeſſionem animis, eos a quibus  
 audirentur inuitabant: erat uidere uiros cibarijs  
 onuſtos, feminas infantibus, excitos e locis longin-  
 quis cupiditate exonerandæ conſcientiæ: ut plerum-  
 que ad uicinos pagos intercluderentur aditus, mul-  
 tudine aliunde ingruente: & audiebantur ad mul-  
 tam noctem: quibus ſatiſfieri non poterat, proſe-  
 quebantur cateruatim, uel bidui itinere occaſioni  
 imminentes. igitur confeſſionem diligentiffime exe-  
 quebantur: pridie Communionis illud erat omnium  
 negotium, illud ſtudium, ut precatione, caſtigatio-  
 ne corporis, de rebus diuinis colloquutione, ad illam  
 aptiores redderentur. His rebus, atque talibus,  
 inſtaurata religio Chriſtiana pæne collapſa: demon-  
 num ſuperſtitio abiecta: impia deuotiones, & ma-  
 gicæ nota interdictæ: multa que introducta, etiam  
 poſt abitum Noſtrorum, conſeruandæ pietati. Uſu  
 enim compertum eſt, procliuitate humani ingenij  
 languere quamuis incenſa mortalium pectora, niſi  
 ſubin-

subinde foueantur.

IN MANILLANO templo iam ampliore, magna omnium lætitia exerceri cœpta munera Societatis. Ioannes Piciechus vir religione & opulentia clarus, dux militiæ domum nostram promissit, e lapide adificaturum: iamque oblata materia dimidium operis effectum. magna etiam ciuium erga nos beneuolentia: cui ipsorum causa suscipiendo labore respondemus. anno huius sæculi octogesimo septimo festo die beati Michaelis operante Episcopo, sexcenti Eucharistiæ mysterio refecti. hinc etiam nonnulla afferuntur relatu mirabilia. erit vnum instar multorum. Mercator Ethnicus tenui lintre flumen traiciens, a crocodilo inuaditur, deprimitur in vastum gurgitem, mox absorbendus: inuocat ille in tantis angustijs Deum Christianorum: nec mora, duorum opera virorum, quos albatos fuisse dicebat, se extractum vidit e bellæ faucibus, & locatum in sicco: memor beneficij lustrali aqua est tinctus, & cum duobus filijs paruulis Christianus effectus. Nec deerant similia in hac Sede, totaque Prouincia Mexicana, quæ super narrata memorarentur, siue ludibrium oculorum, siue vera ea species fuit. Sed verebar tedium auditorum res nouas expectantium.



P R O V I N C I A  
L V S I T A N I A .



CONTINET LVSITANIA  
nouem locis collegas triginta quat-  
tuor supra quingentos. Olisipone in  
Domo Professa, septuaginta duos, in  
Collegio quinquaginta, in Conimbri  
censi centum octoginta tres, in Ebo-  
rensi centum viginti septem, in Portuensi quindecim,  
in Bracharensi vndetriginta, in Brigantino vi-  
vigintitres, in Funchalensi quattuordecim, totidem  
in Angrensi, in Angolana Sede septem. In duode-  
cim decedentium locum successere duo & quadra-  
ginta.

DOMVS OLISIPONENSIS.

MAGNO THESAURO aucta hoc an-  
no, ornataque ades nostra, reliquijs, quibus  
haud facile inuenias superiores. in his spina e corona  
Domini, particulaque Sanctæ Crucis visenda ma-  
gnitudinis: Sanctorum virorum capita vnum, &  
viginti, brachia sex, ossa pene innumera, aposto-  
lorum, martyrum, virginumque, argenteis inclu-  
sa thecis, mira operis varietate, & splendore gem-  
marum. Ea causa a summo Pontifice, quater anno,  
iubilei impetrandi, diebus nempe, beatis Ursula,  
Gregorio Thaumaturgo, Brigitta virgini, & san-  
ctissima

Etissima Crucis inuentioni sacris. hæc porro e templo  
 maximo ad nostrum perlata, ferijs beati Rocchi, in-  
 credibili gratulatione pompaque totius ciuitatis:  
 cum insigni commendatione Ioannis Borgea, viri il-  
 lustrissimi, qui eius muneris, vt aliorum multorum  
 auctor nobis & conciliator fuit. hac de re nihil tra-  
 demus hoc tempore aliud, quod ea proprio manda-  
 ta volumine plerisque prouincijs innouit. Illud  
 etiam nouum hoc anno, & ad Dei gloriam perquam  
 illustre, quod socij non e Lusitania tantum, sed ex  
 alijs quoque prouincijs in orientem Solem, occi-  
 dentemque, atque etiam in Septemtrionem, diuer-  
 sas orbis partes, nauigaturi, religionis propagan-  
 da, expectantes cursum, bonam anni partem in hac  
 domo versabantur. & ad Iaponios quidem destina-  
 batur eorum Episcopus Pater Sebastianus Morales.  
 quod mihi quoque paucis exequendum reor. Cum  
 gnarum esset Philippo Regi in Iaponijs insulis iam  
 quadragesimum continenter annum bene geri rem  
 Christianam, augerique quotidie non hominibus mo-  
 do e populo, sed & dynastis, & regibus, excitata  
 Christo assertori nostro templa amplius ducenta,  
 subijt animo succrescenti gregi pastorem desiderari,  
 & constituendum Episcopum, quem numquam illi  
 populi vidissent: eumque cognitis sibi de causis non  
 nisi e nostra Societate. probauit eam rem Pontifici  
 maximo, persuasitque per litteras Patri Nostro  
 Generali. igitur designatus par tanto oneri Pater  
 Sebastianus, sollemnique carimonia, sexto Kalen-  
 das Aprilis consecratus in nostro templo: præbente

rege ad ornatum Episcopi aureos ter mille quadringentos, ad annuos reditus bis millenos. nec Theotonij defuit Eborensis Episcopi solita liberalitas: munera ad eum misit amplissima, quæ tribuere princeps amico posset. & quoniam instabat navigatio, nouus Episcopus, pridie quam conscenderet nauem, in patrum, fratrumque confessu concionem habuit, breuem illam quidem, sed plenam spiritus, & dignam persona, quam sustinebat: soluit cum Deo classis, quæ præfulem uehebat, ac socios septem, Aprili adulto, prosperoque cursu per Atlanticum oceanum ad Fortunatas insulas præteruectam, ad Aequatorem accessisse, non modo sine incommoda valetudine, sed etiam sine nausea Episcopi, conuectores exemplo atque alloquio ad pietatem incitantis, accepimus litteris Nostrorum. conseruet eum Deus, ut ea mente, quam illi dedit, exequatur munus, cui illum præposuit. eodem tempore classis Brasiliica, in qua quinque de Nostris in duas diuisi naues, prætoriam, & aliam quamdam onerariam, Oliipone soluit: & hi quidem, ut certiores facti sumus, prospera navigatione vsi Brasiliam tenuerunt: prætoria ad Maderam insulam tempestate delata ventos ferentes & tempus commodius opperitur. Tertia classis & numero nauigiorum maior, & milite instructior, septemtrionem cogitabat: in ea de Nostris vnus & viginti: adhuc erat in anchoris, cum alie dederunt in altum vela: nec mora fuit inutilis: purgabantur interim confessione, & aduersus perduelles fidei militantium animi fidei armis muniébantur. Atque

hæc generatim: nunc singula expediam. Quattuor e  
 Nostris diem suum obiere. Petrus Lombardus Ita-  
 lus trigesimo tertio anno ab ingressu in Societatem.  
 Sequuta mors patris Ludouici Fosecæ Hispani:  
 classe Hispalensi venerat cum alijs Patribus in hanc  
 urbem. hic, dum excipiendis confessionibus aegroto-  
 rum militum in nosocomio dat operam, pestilenti  
 oppressus morbo, eiusque vi vincente remedia ex-  
 tinctus est. Tertius Hieronymus Consaluius non  
 dum expleto tyrocinio. Postremus Balthasar Al-  
 meida (trigesimum iam annum in Societate fuerat)  
 obiit in classe, quæ in Angliam nauigabat. Repe-  
 terem nunc, quæ alijs annis, de concionibus, con-  
 fessionibus, nosocomijs, publicis custodijs, triremi-  
 bus, illa scilicet communia, nisi propria eminerent:  
 & si e carcere, æreque alieno soluti decem, e trire-  
 mibus centum octoginta, cum expleto tempore dam-  
 nationis, adhuc in opere tenerentur: adiectaque pe-  
 cunia (ea fuit aureorum quater millium) supra tem-  
 pus debitum liberationi: Catholicis præterea septem,  
 qui ex Anglicana persecutione in hanc urbem pro-  
 fugerant seminudî, veste rebusque necessarijs sub-  
 uentum est. Venit etiam Christianus quidam, na-  
 tione Turca, qui annis superioribus, ex insula Cbio,  
 cui a Rege erat præfectus, cum vxore auctore con-  
 filij, liberisque fidei complectendæ Romam confu-  
 git: eam rem cum Turcæ iniquissime ferrent, eius  
 socerum, fratremque vxoris, cum paruulis liberis,  
 coniectos in vincla adigunt ad seruitutem: & ve-  
 rendum erat ne aut necarentur, aut desciscerent a

fide : igitur, vt eriperet eos periculo, cuius ipse fue-  
 rat causa, in Hispaniam contendit ad Philippum Re-  
 gem, a quo comiter acceptus, commendatusque, Hi-  
 spalim primo, mox Olisiponem venit : hic adiuit no-  
 stros ( & ferebat litteras a Patre Generali ) & a  
 Sacerdote adiutus collegit necessariam summam au-  
 reorum mille, discessitque : sine anni misit litteras  
 testes restituta suorum libertatis. Dissidebant ab  
 vxoribus viri vndeuginti, & necem nonnulli ma-  
 chinabantur, cum ijs reconciliati. decem ac septem  
 ab se pellices abegere. Fratrum suorum cædem diuer-  
 sis temporibus factam fratres duo inimicij, & ar-  
 mis vltū ibant, nec audiebāt precatores : sed tandem,  
 de Nostrorū consilio, honestiorem beneficij, quā vl-  
 tionis occasionem rati, cessere : aurei septingenti sexa-  
 ginta redditi dominis suis. Ibāt forte per urbem duo  
 e Nostris : magnopere vocātur e vicina domo, accu-  
 runt, vident hominem iam iamq. præcisa veste, e qua  
 se ipse suspenderat, iacentem in pavimento, ita dese-  
 ctum spiritu, & rigentibus brachijs, vt manus ad  
 frontem adduci non posset, cruce signandæ : post appli-  
 cationem cælestis agni mens reddita, apertique oculi  
 mirantis : Crucem iussus imprimi fronti, seque ipse  
 respiciens, vitam meliorem instituit ab initio confes-  
 sionis. Cuiusdam Sacerdotis opera, hæreticus e Ger-  
 mania diu olim simulata religionis, cum Romana Ec-  
 clesia redyt in gratiam : & apud nos, cum alijs quat-  
 tuor, iussu Quasitoris, ad res fidei instructus. Aduena  
 quidam, qui an Christianus esset, non satis comper-  
 tum, admonitu vnus e Nostris, iussuque Archiepi-  
 scopi,

scopi, priuatim, quod ita res postularet, ea, qua par erat, condicione ablutus est. Catechumeni septemdecim, Emmanuele Ciabra Episcopo rem diuinam procurante, baptizati. & quoniam in vocandis tribus diuina prouidentia eluxit, eam rem paucis exponam. Hebræi adolescentes duo in Mauritania Tingitana educati, mercatori Lusitano ob æs alienum, dati fuerant a patruo nexi. eæ causa Mazagani ( vrbs est in Africa Lusitanorum municipium ) atinebantur. horum alteri, nocturno visu, senex ore cultuque uenerandus, vt Iudaica superstitione exuta, Christum, Petrique nomen induat, persuadet. Ex perrectus narrat socio somnium, monstratque salutis viam. idem iam erat utrisque consilium. & exequi statuerant. supererat scrupulus, ne creditor fraudaretur eorum discessu. igitur differunt celantque: donec illi esset a patruo satisfactum. commodum cum patruo iam liberati exierant ex vrbe, cum se Christianos velle esse profitentur, & redituros vnde discesserant: proinde ille aut abeat solus, aut addat se ipsis comitem, futurus parentis loco: simulare illos principio putauit patruus per iocum, quod dissimularet ipse, an quod ita vellet. vbi videt rem serio agi, promissis onerat, terret minis: obstructis auribus adolescentium, itur postremo in lacrimas, & preces. sed frustra detouere: reuertuntur ambo pariter, relicto patruo, in urbem, animo votoque Christiani. & alter, paucis post diebus, Olisiponem nauigat ad ædes Catechumenorum: manet alter in Africa implicitus morbo, Dei permissu, vt ipsius constantia esset illustrior.

nam

nam pater adolescentis, patruusque, pecuniosi homines & atroces ira, Ducem quemdam Maurorum allectum premijs subornant, ut ad Mazaganum non parvam manum equitum ducat. exeuntibus obviam Lusitanis, cum utrinque stetissent acies praelio instructae: Maurus, impetrato alloquio, eo die se non uenisse pugnatum affirmat, sed solum oratum, ut liceat Hebraeo patri filium videre, & alloqui. permissum, acceptis prius obsidibus. & pugnavit quidem pater, quibus poterat artibus, machinisque, sed filius victor discessit: cum enim sordidatus senex, & squalidus, miserationis augenda, Deum hominesque contestans, ploratus, questusque diu duxisset irritos, barbaque sibi, & crine vellendo, vesteque conscindenda, ritu gentis, nulla re composita ad ostentationem, nihil proficeret, nec desisteret tamen, praecidit sermonem, spemque omnem, fortis adolescens, tali responso. Si me diligeres pater, gauderes haud dubie filij bono: adderes etiam cumulum laetitiae, tua sententia ad meam adiungenda. nihil enim tibi utilius, nec vero gloriosius. ego quidem ad consilium adijciam exemplum, hoc si feceris, & parentem meum agnoscam, & amorem tuum. tu vero quibuscumque in rebus habebis filium non repugnantem: sin secus, maiorem habeo patrem Deum, cui obtemperandum est magis, quam hominibus: at animus turbidus vera non diiudicat: & ego praenuntio tibi me modis omnibus Christianum futurum. tam praeclearum nomen aut aqua promerebor, aut sanguine: ut scias vile esse corpus ijs

qui

qui animæ gloriam petunt . ceterum nihil me amplius debere naturæ existimo . His auditis pater irritus consilij , mærensque , cum Maurorum equitatu discessit : Lusitani intra mœnia iuuenem receperunt letantem . Nec minor in Turcæ adolescentis conuersione vis numinis apparuit . erat huic mater iam pridem Christiana Mazagani Lusitano equiti seruiens , quæ beatæ Monicæ exemplum , in parturiendo iterum filio religioni Christianæ , & in Africa , renouauit . nam Catharina , hoc est mulieri nomen , cum assiduis precibus orasset Deum , ut eius nato , in tæris tenebris noctis Maumetanæ , præferret lucem , eius , ut postea patuit instinctu , constituit , salute filio querenda , rem Christiano nomine dignam , vel agere , vel pati : & maius imbecilliore sexu facinus ausa , communicato prius consilio cum præfecto arcis , acceptisque litteris , ne ut desertrix seruitij ab exploratoribus retraheretur , penetrat Mauritaniam . hic Azamorij cum substitisset ( est oppidi nomen ) filium e Fessensi vrbe , vbi negotiabatur , accersit , tantumque valuit , religionis Christianæ veritatem , vanitatem Maumetis sæpe dissertando , ut peruicerit animum adolescentis : atque , ut est verbum Domini efficax , mulier etiam cuius domi diuersabantur ( hæc eius sermones excipiebat interdum ) ad vtriusque sententiam accesserit . porro visum rem totam agere cautius , & tutius . & positi aliquot in oppido dies auertendæ suspicionis . tandem , captato tempore , inumbrante vespere , discedunt , & socijs tenebris , æquantes iter nocti , obscuro adhuc

ceptæ



cepta lucis ad Mazaganum perueniunt . clausa  
 erant portæ : vbi Catharinam esse constitit cum du-  
 plici præda , accepta est ingenti studio , lætitiæque  
 ciuitatis . illi deinde missi Olisiponem , vt initiati  
 meditentis Fidei Christo consecrentur . Mortui  
 ex hoc Collegio tres , & domi quidem duo , Pater  
 Antonius Macedius vir spectatæ virtutis , & Bla-  
 sius Ferdinandus , tertius Pater Robertus Hiber-  
 nus , cum multarum peritus linguarum incumbit in  
 salutem militum , immemor suæ , circa eam classem ,  
 qua in Angliam ferebat bellum . ceterum discipuli ad  
 nos ventitant fere bis mille , & plerique claritate ge-  
 neris insignes . Sed eo studio feruntur in litteras , ac  
 pietatem , vt impleant omnes partes officij sui . vin-  
 ctos qua possunt ope solantur , visitant adiutantque  
 qui vario morborum afflicti genere in valetudina-  
 rijs decumbunt : idque cum commune est omnium ,  
 tum proprium illorum , qui de Sodalitio Virginis : in-  
 uentus in hoc numero , qui veterem Iosephi pudici-  
 tiam non dissimili periculo reddidit : alter eiusdem or-  
 dinis acceptam in templo alapam multis inspectan-  
 tibus , memor præcepti euangelici eo animo tulit , vt  
 alteram offerret oris partem , adeo repressit famulos  
 properos vltionis : nec vero desunt e tam proba iu-  
 uentute , qui ad nostram Societatem , aut ad alias Re-  
 ligiosorum familias viam affectant . Nunc ad alia .  
 Acerrima inter primarios quosdam viros ac militum  
 Hispanorum duces exorta erat contentio , e parua re  
 ad magnum certamen progressa , & vtrinque compa-  
 rata manu maiora metuebantur : placuit diuinæ bo-  
 nitati ,

nitati, vt vnus e Nostris interuentu irarum ardor  
 refederit. Sed & hic agniti diaboli astus, repressique.  
 Agitabatur vnus nocturnis somnijs, spectrisque diur-  
 nis, sic assidue, vt statueret interitu finem facere  
 miseriarum: alter cum conspicatus demonem esset  
 humana in specie, & si primo visu perterritus, mox,  
 sermone mutuo sumpta audacia, adductus erat in fa-  
 miliarem eius consuetudinem, ipsoque suadente, pæ-  
 ne in mortem voluntariam: quam rem perinde hic,  
 atque ille, perduxisset ad exitum, ni Deus ostendis-  
 set utrique, Nostris vsus administris, fæditatem con-  
 silij, lumine diuinitus immisso. Nec minus obuiam  
 itum calliditati hominis in multorum perniciem ruen-  
 ti. Ingentem pecuniam extorserat quidam ab iuvene  
 amante, per speciem ferendarum litterarum ad vir-  
 ginem, ab eaque referendarum, simulato artificio: id  
 vbi occultis spargi sermonibus, vt perueniret ad pa-  
 rentem virginis, ita animum eius penetravit, vt eno-  
 catis propinquis, vel e milliaribus quadringentis, in-  
 famiam filie cogitarit nece iuuenis delere. iam strue-  
 bantur insidiæ, commissuræ familias duas nobilissi-  
 mas: iamque ibatur in facinus: cum vnus e Nostris in  
 tempore admonitus, per veritatis ingressus vesti-  
 gia, eo rem deduxit, vt patefieret dolus, restituta-  
 que virgini fama, componerentur familie, quas ficta  
 crimina distraxerant. Nostrorum denique opera ef-  
 fectum, vt sedecim aureorum millia male parta legi-  
 timis dominis redderentur.

CONIMBRICENSE COL-  
legium.

**A**CCESSERE ad Societatem viginti quat-  
tuor, decessere duo, alter eorum Dominicus  
Ioannes, per ipsos viginti annos in hoc Collegio co-  
quus: ceterum ita despiciens sui, vt aestimaretur pro-  
pterea ab hominibus, & diligeretur a Deo: de cu-  
ius rebus ita sapienter differebat homo idiota, qui  
ne litteram quidem nosset, vt viris doctis, hocque  
vnum agentibus, admirationi esset: quin etiam in-  
tegras libelli paginas ad verbum ediscendi omnibus,  
De contemptu mundi, memoriter recitabat: cum ap-  
propinquaret supremis, rogatus quod maximum es-  
set morienti solatium, vocem dedit Societatis filio  
dignissimam, Labor omnis, quamuis difficilis, sine  
querela susceptus: ad egregiam demissionem animi  
addidit laudem flos perpetua castitatis, quem illiba-  
tum seruasse perhibetur. Alter Franciscus Beton-  
corius, qui etsi quintum agens in Societate annum,  
vita prius, quam Philosophia cui studebat, cursum pe-  
regit, tamen ijs claruit virtutibus, vt quasi perue-  
nisset ad metam, spes sit praeium a Deo accepisse:  
certe in diuturnitate morbi, & acerbitate interitus,  
superans animus dolores corporis, metumque mor-  
tis fidem fecit securae aeternitatis: ita cum defunctum  
audisset medicus qui praeserat valetudini, ingressus cu-  
biculum, vbi positum erat corpus exanime, precatus  
de more, ad extremum adiecit. Hoc ego deinceps pa-  
tron

trono apud Deum vtar: tantam opinionem apud eum  
 meruerat patientia infirmitatis. Dicamus nunc ali-  
 quid de excursionibus. Eæ septem fuere: ad excellen-  
 tissimum Bragantiæ Ducem, ad Viseum urbem, ad  
 Tranquoseum, Pinellum, Penamacorium: oppida  
 hæc sunt Tagum inter, & Durium, ad Orientem, lo-  
 cis maxime mediterraneis: ad Talabricam, Aue-  
 rium dicitur, adiacetque Oceano ad ostium fluminis  
 Vaccæ: ad oppidum denique, cui nomen a Monte Ma-  
 iore: his omnibus locis, vt Nostrorum aduentus iu-  
 cundus, ita commoratio fuit utilis, & discessus mole-  
 stus. Hæc confuse: nunc aliqua seligentur. In oppi-  
 do Villauicosa, vbi Dux Bragantiæ habitat, in carce-  
 re erant complures, eos cum comperisset Sacerdos  
 propter asperitatem hiemis, & penuriam vestis,  
 confici frigore, in ipso Ducis Sacello, inter concionan-  
 dum, ostendit iniquum esse, tam exquisite instratis pa-  
 uimentis, quæ pedibus subijcerentur, tam incuriose  
 pauperes, Christi membra, nudos relinqui. non vana  
 cohortatio. statim Serenissima Catharina Ducis ma-  
 ter, aula quibus conuestiebaturn gynæceum, com-  
 plicari per famulos, & ad concionatorem compor-  
 tari iussit. Dux ad eundem misit summam pecuniæ  
 bene magnam: ipsemet Sacerdos onerat humeros ve-  
 ste stragula, & comitibus illis, qui ab Duce vene-  
 rant, in carcerem contendit: fuit ea res subsidio pau-  
 peribus, spectaculo mediocribus, diuitibus exem-  
 plo: breuique collata vestis tam multa, vt instrue-  
 rentur lecti, & induerentur homines ad quadragin-  
 ta. Cives cuiusdam oppidi per annum plenum atque  
 inte-

integrum sacris, & Sacerdote caruerant: acciuit Noster in templum insuetam multitudinem, & Sacro facto, pro concione hortatur, certiolem faciant praesulem orbitatis ipsorum: factum: impetratus ab eo animarum rector inastimabili gaudio cunctos affect: erat in medio foro eiusdem oppidi templum vetustum, & nobile, nec ducebant illicitum oppidani, eius limina ianuamque ipsam obtendere rebus venalibus, praetendentes diuturnitatem consuetudinis: ut concionem habuit in eodem templo Noster, ita valuit dicendo. ut mutati ad poenitentiam animi priorem licentiam posteriore religione oblitterarent. Altero in oppido, homines nescio qui, sic familiam Religiosorum diuexauerant, ut adegerint ad discessum: porro incolae ad vacui canobij eodem Quadragesima singulis hebdomadis, ibant supplicatum: hac occasione vsus noster Sacerdos, e suggestu cur vacuefactum sit coenobium inquirat, accusat factum, dein religione incussa animis, permouit auditores ut legatione missa reuocarent sacram familiam, cuius precibus apud Deum adiuuarentur: eiusque reditus est mira omnium gratulatione celebratus. Testamentarius quidam bonam pecunia partem iamdiu auerterat, eamque mala fide possidebat: is audita concione sua fraudem secum reputans, ad veri domini pedes se abijcit, crimen fatetur, doli mali veniam petit: erat dominus ipse vir genere iuxta animoque nobilis, comiter absoluit consistentem, & liberaliter hereditate donauit: his quorundam vetus finita: mille aurei restituti: ducenti quinquaginta remissi: reditus annui in  
 substi-

*Subsidium egenorum Sodalitio Misericordia a pecu-  
 nioso homine legati: itum ad vinclos in carcere: quod  
 etiam oppidanos aduertit, vt vel opera benigne illis  
 facerent, vel pecunia: magnam enim sibi beneuolen-  
 tiam Noster apud omnes compararat, sic vt semper  
 sequerentur eius consilium, & nonnunquam etiam  
 prauertent. Vnus quidem, cum ab eo acciretur,  
 vt rem alienam restitueret, non prius adijt ad Pa-  
 trem, quam domino satisfecisset: tum ad illum. Noluit  
 Pater in tuum conspectum venire, ante, quam pre-  
 starem, quod te velle intelligebam. alter vi morbi in  
 lecto decumbens, admonitus ab ipso, cum aduersario  
 rediret in gratiam, famulorum humeris iussit se ad  
 eum deferri, vt firmanda pace admonenti obseque-  
 retur. Pertinet ad hoc Collegium Lapense Dei Ma-  
 tris templum, religiosum omnibus circa populis, &  
 miraculis illustre: celebratur in anniuersarijs Virgi-  
 nis sic, vt affluant plerumque ad septem hominum,  
 vel nouem millia: huc missus Sacerdos, Sextili mense  
 medio, vtiliter laborauit: sed accidit quiddam ad  
 memoriam insigne: ipso die Deiparæ assumptæ, vir  
 opulentus, in oppido non longe, ludos scenicos virili  
 sexui ac muliebri talium rerum auido, ad spectacu-  
 lum effusis magnifice dabat: ea fuit causa, cur præter  
 consuetudinem ex illo oppido sollempnis pompa non  
 duceretur ad templū: non tulit impune in ipsa orche-  
 stra nescio vnde exorta rixa multitudinem ad arma  
 conuertit, & vulnerati multi castique: in queis seruus  
 domini ludorum: quin etiam ipse non effugerat cæ-  
 dem, ni seruatus esset ab inimico, verente scilicet, ne*

eius interitus sibi crimini daretur: & iudicatum est  
 datas fuisse pœnas neglectæ religionis. Sed diu va-  
 gati extra urbem domum reuertamur. Coacta Sy-  
 nodo, præfidente Alphonso Episcopo Albicafren-  
 se, triduo concionandi munus tribus e nostris Sacer-  
 dotibus mandatum. Maiore hebdomada multi ex  
 Academia spiritualibus exercitationibus in Collegio  
 exculi. In his Alexander, Ducis Brigantini frater,  
 maxima indole adolescens, qui nobis dat operam. Is  
 cum huc redisset in instauratione studiorum, tantum  
 vestis auro textili Collegio dedit, quantum satis esset  
 Sacerdoti, maximoque altari vestiendis. non est omis-  
 sa eorum cura qui in vinculis detinentur: ijs persua-  
 sum, vt quotidie explorent latebras conscientiæ, bea-  
 tissimamque Virginem recitandis suppliciter lita-  
 nijs quotidie comprecantur.

### COLLEGIUM EBORENSE.

**E** MULTIS varia affectis morbo, absumpti  
 duo, laicus vnus, alter Sacerdos: ille post ex-  
 pletum annum in Societate duodeuigesimum, hic  
 post vigesimum sextum. nomen Sacerdoti Ferdinan-  
 dus Contignus, vir rara admodum virtute, & insi-  
 gni scientia rerum diuinarum, sacrosanctæ Euchari-  
 stiæ, sanctissimæque Dei Genitrici mirifice addictus.  
 cum adhuc integra esset valetudine, quam tamen as-  
 sidua castigatione corporis attenuauerat, prædixit, se  
 fine anni moriturum: nec fefellit. Decembri mense  
 die

die sacro Deiparæ Virgini conceptæ supremum diem  
 expleuit. Nuntium instantis mortis ita gratanter  
 accepit, vt asseuerarit nihil audire potuisse iucun-  
 dius. Tum conuersus ad Christi imaginem, illud  
 ex psalmo repetijt. Tibi derelictus est pauper, or-  
 phano tu eris adiutor. magna erat apud omnes in opi-  
 nione sanctitatis: ita, cum laudibus, & lacrimis,  
 illatus in sepulcrum. Duorum iacturam compensa-  
 uere duodeuiginti, e quibus duo claritudine natalium  
 illustri. alter dynasta Aluitiensis frater, magna eius  
 propinquorum admiratione, perinde quam mærore:  
 ad hunc leniendum missus Aluitium Sacerdos, sic  
 profecit, vt a matre haud ita pridem nescia toleran-  
 di, abstulerit ad filium litteras hortantes ad perse-  
 uerandum. Non solum in nostro templo conciones  
 habitæ, sed & in varijs cænobijs, & frequenter  
 itum in oppida propinqua. Ad hominem inopia  
 morboque afflictum adierat Sacerdos gratia confes-  
 sionis, re confecta, orat ægrotus remedium mor-  
 bi, & leuamen doloris: neque enim se esse ijs facul-  
 tatibus, vt medicum vocet, ematque somenta, quæ  
 ab ipso imperentur: hæc inter, inflatam tibiam osten-  
 tabat, & paralyti correptam. Quin tu adiuua Pa-  
 ter, si quid potes. Hic Noster. Quantum in me  
 erat, effeci: super illud est vnum, vt te precibus  
 apud Deum commendem. hæc dicens, recitat formu-  
 lam e sacris Euangelijs, & Crucis signum impri-  
 mit, tibie tumescenti: miram ægroti fidem: statim  
 in melius ire valetudo, remitti paulatim dolor, &  
 tumor imminuit octauo post die recuperata sanitate



ad templum gratias agens Deo, & Sacerdoti apud Deum, accessit. Cum sacri Quæsitores exercerent publice de more iudicium, & pœnas aberrantium a Fide, vnus e Nostri concionem habuit rei ac temporis congruentem: nec defuimus eorum subsidio, quorum crimina fuerunt igne expianda. Ceterum, cum iubente Theotonio sacrorũ antistite, propitiandi numinis, ad dies aliquot producta esset e Sacraris diuina hostia publice adoranda, eiusdem mandatu concionati Nostri ad parœcias vrbis permagno multis adiumento fuere. Virgo nobilis amorem pudicitia nuptijs præferens contulit se in cœnobium virginum Deo dicatarum. luxum altera, ac molliciem, qua difflebat, ad seueriora studia conuerit. Auditores habemus in academia mille quingentos. magna omnium industria, & pietas. maior eorum, qui beatam Virginem patronam habent. id adeo ex vno facto intelligetis. Iuuenis amplissima familia cum communibus suffragijs præfectus Sodalitio fuisset, nihil sibi prius faciendum ratus, quam vt cum delecta sodalium manu, lautos humeris conuictaret cibos, ad carcerem, pauperibus reficiendis: id grande subsidium illis attulit, & gaudium ciuitati. Missi in expeditionem ex hoc Collegio in loca diuersa tria, ad diœcesim Eluensem, ad Amœam, urbem vetustate nobilem, Portallegre vulgo indigetant, denique ad Turdetanos. est Turdetanorum regio qua Algarbiorum regnum continetur, pars illa veteris Lusitania, quæ magis ad meridiem spectat, & ad Sacrum promontorium excurrens, versus Gadi-

tanum

tanum fretum, Ana fluuio a Bætica, a Tingitana Mauritania, Atlantico sinu discluditur: abundat urbibus oppidisque: rudiores incolæ ob excolentum inopiam: in hanc prouinciam missi duo, vix dici potest quam lætis animis excepti: eam vbi cognouit intratâ ab ipsis, Algarbiensis Episcopus, per obuias litteras gratias egit, præcepit simul curionibus, vt liberaliter itineri necessaria venientibus suppeditarentur. certamen erat oppidorum ijs accipiendis: quin & in vrbe ipsa, Episcopum inter Præfectumque incunda quædam æmulatio, vtrius domum diuertentur. medium Nostrorum consilium fuit: laudata humanitate vtriusque, ad hospitalem domum se recipiunt. id vt compertum Præfecto, cubicula apparari, prætendique cubilia conopeis sericis, cultu magnifico iussit. at Nostrî memores vitiæ paupertatis, delecto ornatu, more pauperum se collocant: postridie, vrbana dissimulatione, ad famulos admirantes. Ita male ista erant composita, vt ne vnam quidem noctem subsistere quiverint. Ad conuersiones incredibilis frequentia, motus animorum tantus, vt crebris eum suspirijs, & comploratione testarentur. renouatus vsus Sacramentorum, sublata dissidia, iniuriæ remissæ, peccandi occasiones oppressæ. Hæc propter, & talia, excitata in omnibus cupiditas Societatis, vt operam multi, aliqui etiam pecuniam cum precibus, votisque offerant, Collegio extruendo. Nec pauciores percepti fructus ex Amænsi agro, & Eluensi. Sed neque ego exequi debeo, neque vobis operæ est audire singula: commu-

niter multa complectar. publica custodie ubique  
 adita, aditæque pueri elementa Christiane legis  
 edocti: concionibus firmior ætas instructa. Altera  
 in diæcesi, pagella, in quibus imago beatæ Virgi-  
 nis, ad sex millia distributa, tanta veneratione ac-  
 cipientium, vt earum attacku morbi depulsi: mul-  
 ta dominis restituta: odia restincta. Obuiam irum  
 parricidijs, inuetratæque consuetudini, vt puella  
 non nisi post nuptias, viduæ non ante quam viros  
 eluxissent per biennium, in templo conspicerentur.  
 igitur hæc communia. Nunc e proprijs pauca. Puel-  
 la amissa post quadriennium parentibus reddita. al-  
 tera quedam puella, per annos ipsos quattuor falsi  
 criminis suspecta, eamque ob causam septies vene-  
 no appetita, quod semper, cum se Deiparæ commen-  
 dasset, illæsa euouerat, parenti reconciliata. Alio  
 quodam in oppido, quod factiones duæ in diuersa di-  
 duxerant, conglutinata pax, anteatentata sæpius pu-  
 blicis precibus, priuatisque multorum. Sed huius  
 quoque adeo expetita pacificationis, vt & rerum  
 omnium aliarum, auctor Deus, Nostri tantum ad-  
 ministri. quo maior nostrum omnium esse debet in  
 obsequendo sedulitas, verecundia in predicando,  
 in gratijs agendis numini assiduitas, & diligentia.  
 iuuat enim fateri præpotentem auctorem muneris,  
 quod accepisse delectat.

PORTVENSE BRACHARENSE  
& Bigantium Collegia.

**N**ULLAE IN PORTVENSEI No-  
strorum scholæ, eo promptior anima um pro-  
curatio. confessiones exceptæ ad decem millia. Vir  
quidam nobilis annum agens octogesimum, cum colli-  
gere vellet sarcinas, vt breui discessurus, centum vi-  
ginti miliarium itinere ad nos venit, rationes (sic  
enim dicebat ipse) cum Deo componendi: mox genera-  
li peracta confessione ingenti cum gaudio domum re-  
uertit. placati, pacatique homines inter se amplius  
centum viginti: adiuti supremo supplicio afficiendis  
& semel, non paruo cum eorum fructu, qui ad specta-  
culum conuenerant. adhibita enim tempestiua con-  
cio, secutaque, cum adhuc esset in oculis mortuorum  
fontium imago, correctio morum. conciones perinde  
in templo nostro, quam alibi frequentes. Fidei ru-  
dimenta, die dominico ciuium liberi: die festo, si quis  
intra hebdomadam incurrit, Aethiopes, seruitiorum  
manus: quarta feria pauperes edocentur: quos etiam  
episcopus non sine stipe dimittit. Mulieres quat-  
tuor & quadraginta turpi vitæ nuntium remisissent:  
sex milites vxores duxerunt illas, quarum corpori  
insueuerant: ex his vnus honesto loco, non inferius  
duxit dignitate sua, multis licet reclamantibus, stu-  
pro cognitam opificis filiam coniugio accipere: Chri-  
stianum quippe officium præponderabat. Hæc pauca  
de Portuensi.

SEQUITUR BRACHARENSE. In  
 templum, quod ampliabatur, sanctissimum Christi  
 corpus, e veteris sacelli angustijs, præunte choro  
 effusaque ciuitate, septimo Kalendas Martias illa-  
 tum: nec multo post delati in conditorium, sociorum  
 cineres, ossaque, funebri pompa. ex eo creuit cum  
 pietate ciuium labor Nostrorū: accessit opportunitas  
 duplicis iubilæi, communis videlicet a Pontifice trans-  
 missi, et anniuersarij, quod illo ipso die erat proprium  
 Sodalitij Parthenij. hinc vtilitas ad multos non sim-  
 plex. Vir in primis nobilis & opulentus e pellice fi-  
 lium susceperat, eamque per annos quindecim ha-  
 bebat domi, non sine graui propinquorum offensa: nec  
 mortalium monitus auribus accipiebat: ceterum  
 corpori cum accidisset morbus, animum aduertit.  
 etenim ager vocato Sacerdoti omnium rerum arbi-  
 trium permisit. igitur exacta pellex, nec sine dote,  
 ut honeste collocaretur: is postea conualuit, mentem-  
 que ipsam ad saniora conuertit. a cade infamiaque  
 complures prohibiti. aliorum tenuitas a ditiorum po-  
 tentia defensa. actum cum magistratu de vinctis ex-  
 pediendis: & ipsorum corpora Nostrorum saepe re-  
 fecta auxilio, animique consilio instructi: subleuata  
 non paucorum inopia, eo maiore cura, quod orba  
 adhuc ciuitas Archiepiscopum desiderat. Catechis-  
 mi explicatio ad pueros non intermissa: saepe etiam in-  
 termiscetur sermo prouectiori ætati (ea plerumque  
 interuenit) vtilitati futurus. Excursus in oppida  
 vicina, in rem fructuamque multorum. Porro in duo-  
 rum itinere hoc accidit. addit se illis socium adole-  
 scens

scens externus, idemque ( quantum possunt collo-  
quia de rebus diuinis ) vario sermone, incensum cu-  
pidine animum Deo seruiendi ad sacrum cœnobium  
intendit. Sacerdos profectus ad Aquas Flauias, id  
est oppidi nomen, cum multa patrauit ad Dei glo-  
riam, tum maxime illud, quod ædiculam carceri ad-  
nexam, sed desertam iamdiu & celebrari desitam, ad  
uinctorum vsum restituendam colendamque curauit.  
fecit eodem loco ipse non semel rem diuinam, cele-  
stiaque Sacramenta cupientibus impertijt. scholæ iu-  
uenum frequentia, & probitate efflorescunt. Præ-  
lucet Congregatio beatæ Virginis, vt honorarius Epi-  
scopus magna virtute vir, & doctrina, alijque ciues  
amplissimi in eam orauerint admitti. In supplica-  
tione reipublicæ causa suscepta, sodales, qui nudati  
terga verberibus se cæderent, numerati ad trecen-  
tos. auctum denique Collegium coempta area, ædi-  
busque vicinis.

OBIIT BRIGANTIÆ vnus post actū  
sextumdecimum in Societate annum, rerum dome-  
sticarum administrator sedulus, & frugi. reliqui ad ciui-  
tatis commoda intenti: præcipue (quod opus est in  
hac vrbe) ad iratorum animos reconciliandos. excita-  
ta erat nuper inter optimates contentio, & e pri-  
uatorum odijs ad publicam perniciem exarserat: ad  
rem ita difficilem Nostrorum opera vti voluit Mi-  
randensis Episcopus, eorumque conatus adiuti ope  
diuina: natali die beati Ioannis Baptiste, quinqu-  
aginta ciues e primoribus, dexteris datis in Collegio,  
in mutuam gratiam rediere. Vir quidam nobilitate  
pollens

pollens viribusque a Iudice, & Prætoꝛe Brigantino sic atrociter diffidebat, vt de eorum pernicie agita-  
ret. hanc pacificationem Collegij Rector mandatam sibi per litteras a Duce perduxit ad exitum, magna eius gratulatione. fenebris pecunia reddita: confecta dos virgini, cœnobium non suis opibus expetenti: resipuit vnus, quem furor & largitio ad aliorum eadem instigabat. Ruri, quo graui tempore anni secedunt Nostri, ad relaxandos e labore animos, corporaque reficienda, adificata ades Sacro faciundo: quo tamen in secessu consulitur pagis propinquis non irrita excursionẽ.

### FVNCALENSE ET ANGRENSE

Collegia, & Sedes Angolana.

**N**EC MINORE cum fructu Funcalense Collegium laborauit in componendis multorum simultatibus. antiquæ cuiusdam Sodalitatis studia, quæ pene consenuerant, vt exarescerent, Nostri concionatoris industria reuiuiscunt. adolescens quidam familiæ vetustate quam fama nobilior, cum esset vicinus ad moriendum, vocauit vnum e Nostꝛis (nec defuere qui demonem se vidisse dicerent ad caput ægrotantis) tantamq. vim clementissimus Deus vtriq. præbuit, vt & Noster decessurum excitaret ad detestationem scelerum, & ille totam spem reponens in diuina misericordia, quantum fieri potuit in illis angustijs rerum & temporum, compararet animum ad

Chri-

Christiane moriendum: de peccatis confessus est ipse  
idemque ut faceret parens eius, vltimis precibus  
exorauit. mulier, ne amicum foueret, diuinitus admo-  
nita: quotiescumque ille ingrediebatur tectum, affla-  
tu fumi & intolerando odore sulphuris iniecto: exclu-  
so amatore, eam ab se molestiam depulit. excursions  
aliquot in pagos vicinos non infructuosæ fuerunt. ad  
templum denique ornatus cærum aureorum accessit.

IN ANGRENSI Collegio difficultas an-  
nonæ, & pestilentia, materiam attulere Nostri exer-  
cendi munia Societatis: & dum aliorum vitæ consu-  
litur, non abfuit discrimen: afflictati aliquot morbo,  
nec vllus decessit: diuina providente sapientia, ne qui-  
bus ad salutem corporis deerat medicina, ijs animo-  
rum medici deessent. Subuentum pluribus de nostra  
tenuitate, actumque cum opulentioribus, ut aliquos  
e varijs locis hanc ad insulam fame compulsos susci-  
perent alendos. Venio ad eos qui scholas nostras fre-  
quentant. Parthenia Sodalitas hoc anno instituta im-  
mane quantum, animos ad pietatem accendit. Episcopus  
in eam ipsiusque vicarius, & canonici complu-  
res, volentes adlecti: est etiam cur de Hispanorum  
militum fructu grates Deo agantur: ij sunt in prest-  
dijs huius insulæ benemulti: Sacramenta frequenter  
vsurpant, inedia, flagellis, cilicio macerant corpus, ut  
animus vegetior fiat: mensibus singulis Sanctorum  
patrocinia sortiuntur: neque in hunc cærum admitti-  
tur, nisi quos vitæ innocentia probarit: si adscitus  
degenerat, aut respiscit, aut abit. libri non nisi de re  
bus pijs in excubijs circulisque militaribus ab vno  
legun.



leguntur, alijs silentibus: abest aleæ lusus, & sermo-  
num lasciuia: dicas familiam Religiosorum. Dux ipse  
præst ceteris, & conspicitur exemplo. is quotidie  
rudioribus exponit Christianam doctrinam: cum lu-  
strat diurnas stationes, vigiliisque nocturnas, præire  
iubet militem, qui ferat vincula, minus religiose  
de Deo loquentium pedibus inferenda: largum via-  
ticum præbuit mulierculæ, vt a milite discederet. uti-  
le id militibus latumque: nec abest numinis præsen-  
tia. militem comitali correptum morbo, &, vt  
rumor erat, morti proximum, admota ad eius pectus  
agni caelestis imagine in cera sacra, excitauit omni-  
bus videntibus: miles ipse rediit ad se se admirabun-  
dus: sed, re postea cognita, admiratio cessit in gratia-  
rum actionem. Hisce nunc studijs ciuium militumque  
flore in insula: quam non ita pridem tumultu bellico  
siluescentem vidisses, & bonis frugibus infecundam.

R E S A N G O L A N A vt melior it Alua  
ro regi, ita etiam religioni Christianæ. septem e No-  
stris sunt in Loanda insula, totique in Lusitanorum  
Aethiopumque salutem incumbunt. Messaganum  
portus est, vbi Dux Paulus Didacus de Societate op-  
time meritis præsidium collocauit: & quoniam qui  
e Lusitania huc aduehuntur, periculosis malis ten-  
tantur initio, & premuntur inopia rerum, eam rem  
cum detulisset concionator ad populum, tantum est  
pecuniæ corrogatum, vt loco salubriore valetudina-  
rium sit instructum, coalescatque in formam pagi, do-  
mibus circum extruendis. huc missus vnus e Nostris  
adiumento aduenarum. nec absunt laboranti solatia  
diuina.

diuina. Duo præterea missi in prouinciam dynastæ  
 qui superioribus annis Christianam fidem suscepe-  
 rat. hic commorati diutius, plurimos sacro baptis-  
 mate abluerunt, Tondellam in his, qui secundus a

Principe totius Prouinciæ imperium admini-

strat. porro e baptizatis, duo, quia spiri-

tu prope labente, cum salute animi,

corporis quoque receperant,

tantam opinionē spar-

serunt vulgo ue-

ræ religio-

nis, vt quamplurimi Aethiopes se ad

Christum adiungant: magna in præ-

sens letitia, maiore spe in po-

sterum, vt letiora

succedant.

PROVINCIA  
BRASILIA.



*VERSANTVR* in hac Prouincia socij centum sexaginta tribui Dominicij octo. In Baicensi Collegio septuaginta, in Pernambucensi vigintiduo, in Collegio Fluminis Ianuarij triginta, in sede Ilheorum & Portus Securi vndecim, in Praefectura Spiritus Sancti, in Sancti Vincentij quinque, Piratininga septem, quattuor denique in Thucumana missione. Decessit vnus. Accessere egregiae indolis adolescentes quinque.

BAICENSE COLLEGIVM.

**C**RESCIT cum Collegij re domestica ardor collegarum, & laboris fructus erga proximos. nihil dico de xenochijs, nihil de publicis custodijs, nihil de adiutis in vita, firmatisque duobus suspendiosis in morte. Discipulorum numerus auxit excitauitque Congregationem beatæ Virgini sacram die ipso Angelicæ salutationis: tamque præclari operis Episcopum probatorem & promotorem habet. Conciones habitæ a Nostis tum in templo maximo, tum domi nostræ. fructum coniectes ex consitenium vndecim millibus, communicantium

tium millibus quinque. Non silenda conuersio Sa-  
 cerdotis, qui & Decanus erat huius ciuitatis, &  
 Proepiscopus diœceseos. Is infensus erat nobis, nec  
 bona admodum fama. Infirmirate correptus est cor-  
 poris, vnde, vt sepe, anima sanitas est orta. rece-  
 pta valetudine multis cum lacrimis Patrem Visita-  
 torem orauit, vt adscisceretur inter Nostros: sessa-  
 tatas prohibuit. tum, apud quoscumque offenderat,  
 eosdem adiens vltro, veniam perijt malefactorum:  
 idemque bis e suggestu vt fieret suo nomine, postula-  
 uit. tam insignis mutatio admirationi, exemplo mul-  
 tis, ei, vt spes est, cum paulo post pie decederet bo-  
 na omnia relinquens pauperibus, saluti fuit. Inter  
 inimicos, & plusquam ciuili odio dissidentes, & qui-  
 dem inter primores ciuitatis, duosque inter coniu-  
 ges, pax composita. plerique, quos in proximorum  
 cades furor armauerat, ab insania reuocati: mulier-  
 cula a cæno quæstuosæ libidinis ad patientiam castæ  
 paupertatis adducta. & si his quoque, corrogata  
 iam eleemosyna supra aureos septingentos, mariti  
 queruntur. Hæc inter non neglecta sacchararia,  
 & e laborum tristitia dulcis sapor expressus. qua-  
 dringenti salutari aqua loti, matrimonio copulati  
 tercentum septuaginta septem. confessiones auditiæ  
 quamplurimæ. Indi, Lusitanorum mancipia, Chri-  
 stianis legibus instructi: permulti ad amorem pud-  
 citiæ reuocati. duo, vxores acceperunt quas adama-  
 uerant pellices. coniugum iurgia, atque adeo di-  
 uortia sublata. nuptiæ violentæ in voluntarias con-  
 uersæ. vir consilium interficiendæ vxoris abiecit.  
 adiuti

adiuti in extremis necessitatibus morientes. Indorum pagi Nostrorum cura commissi, lustrati informatique: baptizati ducenti, ligati coniugio centum viginti, quinque millia confessionum excepta, tria Indorum millia refecta pane caelesti. Grassantem famem, quae etiam aliquot extinxit, secutamque vim morbi, Nostrorum industria subleuauit, collata ope, sstipeque collecta. in his, nonnulli cum baptismo, epota alij lustrali aqua, receperere valetudinem. his enim rebus, & crescit multitudo Catechumenorum, & augetur credentium fides.

## SEDES ILHEORVM ET PORTVS

Securi.

**E** PACIFICATIONE multorum, de qua memorauimus anno proximo, consecuta multiplex vtilitas animorum. Confessi de vniuersa vta criminibus amplius triginta: sacro fonte abluti ducenti: quadraginta septem sanctiore vinculo nexi: non deserti in officinis sacchari, occupata opera, homines Indi: quæsiti magis per aspera infestaque itinera (insensant latrocinij's loca omnia Amures) & periculum fructu pensatum. Christo aliquot adiuncti. ex his anicula moribunda, parentum mortuorum vmbra, quas sibi assistere dicebat, audacter discussit: timorem alter accelerandæ mortis, baptismo: vterque per hanc ianuam calum ingressus.

AT IN SEDE PORTVS SECVRI  
 initiati Christianis mysterijs sedecim. sollenni ritu spon-  
 salia facta. quattuordecim dissidentibus nonnullis, &  
 in primis Praefectis oppidi, graui periculo atque  
 exemplo, redyt concordia. conciones habitæ, doctri-  
 naque Christiana exposita non infrequenter: corra-  
 pta pecunia multorum animis corporibusque utilita-  
 ti fuit.

COLLEGIVM FLVMINIS IA-  
 nuarij & Sedes Piratiningæ.

CONGREGATIO discipulorum, de qua  
 nuper est positum, altiores agit radices. pueri  
 elementarij sunt senibus, in ijs quæ pertinent ad do-  
 ctinam, Fidei magistri. E Nostrorum concionibus  
 fructus non spernendi. ad confessionem accedere ho-  
 minum sex millia: ad sacram synaxim, tria. Vincto-  
 rum animi corporaque, singulis diebus dominicis suo  
 pabulo recreantur. occursum interim inimicitijs ca-  
 dibusque multorum. Inter feminas tres honesto lo-  
 co constituta pax, hoc admirabilior, quo pertinacior  
 sexus. Vir nobilis, neque ita erga nos bene affectus,  
 quos perpetuis liubus exercebat, afflictus morbo,  
 quo etiam expertus Nostrorum pietatem, animum  
 mutauit, futurus in posterum nobis defensor, nisi &  
 vitam cum morte mutasset. Pari utilitate per Lusit-  
 tanorum villas excursus. per confessionem Christo  
 reconciliati multi, per lauacrũ conciliati viginti. per  
 legitimos toros coniugati quinquageni. Indorum

mollires emollita peccatum originis abstertere aqua  
salutari septuaginta sex: culpas vitæ, Sacramento con-  
fessionis mille quingenti. quingenti percipere Eu-  
charistiam. uxores duxere ecclesiastico ritu trigin-  
ta. elucet nimirum horum pietas imitanda Ethnicis,  
Lusitanis æmulanda. Obstitit vnus, per triduum,  
petulantia mulieris impudica: & contra, mulier al-  
tera adolescenti procaci.

PIRATININGÆ similis Nostrorum  
labor, & equalis proportione fructus: si ad compu-  
tationem reuocet, Christo nomen dedere trecenti.  
adiunxere sibi uxorem centum. Oppidanorum om-  
nium confessiones susceptæ. nempe parochus abest.  
Indorum pagi adeuntur: quibus &, quasi modo  
genitis infantibus, lac præbetur, & vitæ adminicu-  
la. Maramomi (superioribus litteris, exscriptoris  
mendo, an meo, Moromimi erant) posita feritate  
vnius e Nostris opera excoluntur: nec abest spes vbe-  
rioris messis.

DE RELIQUIS Domicilijs difficultate na-  
uigandi, seu raritate nauigantium, nihil habitum. an-  
nus sequens, Deo adiuuante, quod nunc relinqui-  
mus, conduplicabit.

PROVINCIA  
INDIA.



**N**VMERAVIT INDIA so-  
cios quadringentos sex: admisit v-  
num & triginta: amisit quattuor-  
decim: in quibus Patrem Sebastia-  
num Moralem, primum Iaponiorum  
Episcopum. Is inter nauigandum, cum habendis con-  
fessionibus, confessionibus audiendis, administrandis  
Sacramentis nauticae turbae, strenuam operam na-  
uat, in febrem primo, tum in lethargum incidit,  
eoque extinctus est, non procul Mosambico, cum  
multis lacrimis & lamentatione flebili conuecto-  
rum, communem parentem vocantium. sollemnia  
pietatis Mosambici celebrata illustri pompa. eius  
cadauer, inter Fratres quos vocant Misericordiae,  
Clericos templi maximi, Monachosque Dominica-  
nos contentionis sedanda, placuit Duci Gubernato-  
rique Cosale collocari in Sacello Deiparae, cui co-  
gnomentum ab arce. eximia vir caritate, magne  
par, inter Nostros insolita, potestati, quam gere-  
bat. mortem eius secuta est duorum sociorum, e  
quibus alter Sacerdos: tam grauis iacturae solatium  
aliquod, quinque naues e Lusitania nostris omnibus  
saluis (etsi in secunda nauigatione afflictati morbis)  
Goam appulsa. Aprili mense Reguli Iaponij cum  
Patre Visitatore sociisque sedecim soluerunt Goa Ia-  
ponem petentes. Iamque, vt multa concludam, in



hoc terrarum tractu, om̄issa Iaponia regione, nouem hominum millia ad Christum conuersa: ex his quinque millia acceperunt baptismum.

DOMVS PROFESSA GOANA.

**L**OCI OPPORTUNITATE (est enim in umbilico vr̄bis) magna conuenarum frequentia. Quadragesima nouem hominum millia confessione crimina eluerunt: & totius quidem vitæ, quinquaginta. compositæ inimicitie: iræ pacatæ: viuida nobilium odia repressa: factiosi reconciliati: remissæ verberum iniuriæ vulnerumque: obuiam itum in præsens atroci ciuitatis periculo, in posterum exemplo: mulieres duæ viris, uiri quatuor vxoribus venenum parauerant, Deo volente, hi perinde, quam illæ, ab iniquo conatu depulsi. Curatum opera Nostrorum vt condonaretur multis æs alienum, quod non erant soluendo, ipsique soluerentur. e triremibus pariter liberati nonnulli tenues, atque egentes: nec Christiani solum, sed etiam Ethnici: quæ causa non paucorum conuersionis. adulter viro interfecto vxorem abduxerat cum grandi pecunia, Mauritaniam cogitans: hinc magna in eos inquisitio, trecenti aurei, haud multo secus, indicij nomine, promittebantur, vel alterum retrahenti: suasu Nostrorum effectum, vt rediret furtum, & mulier secunda periculi in tuto reponeretur. ducenti item aurei redditi: adiuti pauperes eleemosyna: puella parenti-

rentibus orbe honesto matrimonio collocata. In hac civitate, atque insula (commune utriusque Goæ nomen) sacra aqua lustrati homines amplius mille, coram Eduardo Menesio Prorege, & Episcopo Sinenfi (qui Goæ erat per illos dies) insigni caerimonia. spectata super ceteros pueri constantia, quem parentes Ethnici ad Idalcanum regem persæpe adduxerant, specie explorandæ voluntatis, blanditijs minisque deducendum a proposito: is enim eorum pertinacia perductus ad iudicem Ecclesiasticum, ita prudenter reddidit rationem vocationis suæ, ut virtute superavit ætatem: eas ob causas baptizato Constantis nomen impositum. Ad hæc illustris femina nurus Meale viri principis, qui olim Concanum regnum affectabat. Sequuntur in hoc genere alia. Christianus senex e Corana insula Ethnicum filium, quem egrotum habebat quodam in oppido, cupiebat Christo adiungere: igitur, quaesitis rebus leuandæ inualetudini, ad eum adit, rogat num velit fieri Christianus: annuit egrotus. tum senex genuflexus, beatam Virginem veneratur Rosario suppliciter percursor: dein applicat fomenta: & fuerunt salutaria: recepta valetudine iuuenis cum familia vniuersa Christianam fidem suscepit. Anus Christiana paupercula in Mauritianiam missa a quibusdam, ut res emptas pretio offerret, aliena consumpta pecunia, illic habitare decreuerat: huc cum isset Christianus quidam, admirabili exemplo caritatis, pollicetur mulieri æ alienum omne dissolutorum, & quoad suppeteret victa, præbiturum victui necessaria, dum ad suos re-

uerteretur: utrumque factum: ab eo perducta ad  
 Quæsitores, adiutaque est, & nunc domi habetur  
 honorifice, parentis loco. Hac inter inimicus homo  
 ferit zizania, sed agricola non dormit. Eduardus  
 Menesius Prorex de re Christiana optime meritus  
 certam pecuniam coemendæ domui, iuxta adem no-  
 stram, ad usum Catechumenorum erogauit. Ad eum-  
 dem cum perlatum esset, Columbum (est arcis no-  
 men) obsideri ab hostibus: classem submisit solu-  
 endo obsidio, eique præfecit Emmanuelem Sosam a Co-  
 rino, duosque e nostris Sacerdotes impetrauit sub-  
 sidio animarum, haud dubie fuerunt. parua res di-  
 ctu: sed, quid per illos effectum, cui hæc non sunt  
 incognita, ad intelligendum satis efficax. expeditio-  
 nis hic exitus fuit: in itinere fugati hostes: arx eo-  
 rum non procul flumine capta: oppida duo, & tri-  
 ginta nauigia cum rebus omnibus incensa: excepta  
 tormenta bellica: præda abacta: exusta vrbs, &  
 demonis sanum, per quod ante videbatur stare, non  
 sine præstigijs: ubi Lusitana classis portum inuehe-  
 batur, ebullientes aquæ, veluti subiecto igne, aditum  
 prohibebant. nunc tandem post ingentem suorum  
 stragem capti cines viderunt flammis æquata recta,  
 & superstitionem extinctam. Atque hæc in itinere.  
 Ut ventum est ad Columbum, prospera a Nostris pu-  
 gnata pugna, cæsi hostes mille, in quibus decem centu-  
 riones, & tres elephanti: reliqui impares prælio ca-  
 pessere fugam. Consecutus Lusitanus fugientes, in  
 transitu pontis obruncat: nullo fere damno: quat-  
 tuor tantum vulnerati. igitur disiectis opibus muni-  
 tionis.

tionibusque, quibus arx erat obseptâ, liberati oppidani Deo grates egerunt.

COLLEGIVM SANCTI PAULI.

**M**ORTVI QVATTVOR, defletique: præcipue Pater Arias Sosa, & Pater Ioannes Rodericus, olim Bustamantes, & comes Patris Patriarchæ, viri in acquirendis Christo animis virtutis indefesse. Animarum vero lucrum, etsi proprium Domus Professe, a Collegio non negligitur. excurretur per insulam, statis mensibus, cum aliquo questu. eo die, qui conuerso Paulo sacer est, baptizati homines, conspicuo apparatu, amplius quingenti: ex ijs multi claris natalibus, & Brachmanes etiam nonnulli. Neophytis pauperibus donata vestis a Prorege, & optimatibus: & quod mirabile magis, ab Ethnicis ipsis: eoque rerum, personarumque honore celebratus baptismus, ut omnibus præ lætitiâ, religione etiam motis, lacrimæ excuterentur. sollemnis pompa in die Parasceues, numquam alias illustrior: quingenti se atrociter diuerberarunt. Longumque illud spectaculum plerosque Ethnicos effusa sanguinis plurimi admiratione defixit. Pater filie pudicitiam, cogente inopia, viro nobili vendere constituerat, iamque conuenerat de pretio: at vnus e Nostris sacerdos iniquum pactum in tempore rescidit, & puella maritum dedit non inferiori nobilitate. ob hæc ei gratia a parentibus acta. Procedit etiam res scholastica: die festo vndecim millium virginum,

quo iubileum indictum, & amplius duo millia communicarunt, pomeridianis horis Theologicae positiones, in magna illustrium eruditorumque corona, defenso. Pater Provincialis quo tempore inuisit Collegium, ingenti studio scholarum exceptus est. eminebat ingenium pueruli elementa ipsius, doctrinam omnem Christianam sine ullo errore, nusquam interrupto ordine, recitantis. Ceterum discipulorum magna religio. varia canobia expetunt multi: nec desunt qui nostram Societatem: condiscipulorum paupertatis subueniunt, ne opum penuria, discendi cupiditas retardetur.

### DOMVS PROBATIONIS ET

Collegium Raccholanum.

**M**AGNUM TYRONVM experimentum, exemplumque caritatis in trecentis aegris, qui ad hunc portum appulerant, primum per manus in nosocomium exportandis, tum in refouendis corporibus, sordibusque eluendis, donec penitus confirmarentur. Petrus Castrinus de quo proxime scriptum, auxit beneficium, cum quadringentis aureis circiter relictis muro exiollendo, Nostrisque salutatis (magnum utrumque signum benevolentiae) in Lusitaniam reuertit. Ceterum circa pagos Tyrocinijs vectigales, versatur Sacerdos cum laico, in loco Quinque sociorum speciosa eade memorando: ubi & conditum Sacellum, & Domus Nostrae Martyrum inditum nomen: apparet fructus commoratio-

nis in conuersione multorum.

DE RACCHOLANO Collegio fere omnes narratio erit eorum, qui Eadem nuper complexi. igitur, super multos Brachmanes, trium vicorum incolae communi consensu, sese Christo dedere: ex ijs baptizati mille excenti: Goam trecenti eandem ob causam missi. Duo millia Catechesi instituantur. Aegroti diuersis in locis duo, Sacerdotem accersentes, petiere baptismum: quo accepto vnus, eodem die, alter post biduum decessit. Alteri in specie melius factum: cui cum baptismo redijt corporis valetudo. Christianus quidam cupidus ad Christum adducenda vxoris quae inter Mauros viuebat, vbi illa erat, iter intendit: Cogitur ab affinibus esse cum ea: sed illam tandem anno duodecimo, quattuorque liberos attulit Christianis praeceptis imbuendos. Haud procul vno templo vicus erat sic secundus superstitionum, ut si quis Christianam capesseret fidem, a vicanis interficeretur: ea de causa vastum erat oppidum, desertumque, & per annos quadraginta, vagam vitam oppidani palantes persequebantur: confusi limites, terminique agrorum aperuit tandem fere omnium oculos Deus, & in cōcordiam rediere omnes venientes ad Christianam fidem. missusque Sacerdos eorum rogatu, fuit animorum reconciliator, & arbiter finium regundorum. conficiebatur porro vinum in hoc vico, pernicies incolarum, & pendebatur veltigal vinarium Regiam desiere illud conficere, manente licet veltigali, malunt, vt pote Christiani, consulere moribus, quam pecunia: praedia iniuste possessa reddi-

reddiderunt dominis admirantibus: templumque extruitur eorum opera atque impensa. extructa etiam alibi aedes Deiparæ Catechumenorum, ab illis ipsis, quibus extruebatur: e loco distanti lapides humeris longo agmine conuectabantur, interim Christianam doctrinam concinentibus: igitur & celebrari capsum magna gratulatione, confluxere eo die Dux Salsetanus, Reguli Iaponij, Patresque, Visitator, & Provincialis, alijque nobiles quamplurimi. Iustrali aqua loti tercentum septemdecim: singulis diebus Sabbati inuisitur incredibili frequentia, parique significatione pietatis. & opinio est cunctorum, euulsa semina inimicitarum, posito templo. Die quodam, cum perageretur Sacrum, ex vno pago conuenere nobiles viri omnes, eoque peracto, prouolati ad aram genibus ut inter Catechumenos aggregarentur, orabant, certantes gaudio cum accipientibus. Ethnicus diues cum exisset e vinculis, ex voto, palmetum centum arboribus frequens Deiparæ ad templi usum attribuit. Alter Ethnicus mercator e domo adij proxima celebritatem prospectabat: semel post meridiem, oppressus somno vidit se genibus supplicem ad altare perrepere, & a Sacerdote Dei Matri commendari: somnium acceptum pro consilio: ipse cum vxore & liberis quinque auxit numerum Catechumenorum. Margani (est vici nomen) labor constitit, explicatum eorum lingua symbolum, concionesque habita: nec minor fructus in pueris, qui litteras docentur. ex his singulis diebus festis triceni mittuntur ad conterminos pagos, communicandæ Christianæ doctrinæ:

præmiaque persoluta doctioribus. ne parentum quidem parua religio. importuna imbrium vi collapsum erat templum: Brachmanes etiam ipsi, suis e domibus, trabes, lignaque humeris apportabant, ei reficiendo. itaque properatum opus, ut absolueretur quadriduo: corrogari dein cæpta pecunia, ut firmitus alterum e lapide statueretur. Fortuito igne magna pars vici erat exusta, ea ut restitueretur, opulenti viri, collaborantes pauperes eleemosyna iuuerunt. Sequitur vnum, atque alterum visum, quæ speciem habuere miraculi. Christianus quidam oculorum tabe notus, per quietem videbat se in aula perampla, vbi iugis aquæ fons: audiebat vnum e Nostris, ut lauaret admonentem: mirum dictu, ut lauisset visus, cæco dies reluxit: eadem nocte, vxor eius credidit se moneri a Sacerdote, ut si velit virum sanum, votum suscipiat ieiunii septem Quadragesimarum: & suscepit illa certa exequendi. Christianus alter, antea varijs superstitionibus mirifice deditus, filio aegroto ut redderetur salus, an consuetudine, an nimia cupidine, munus diabolo parat: offertur dormienti imago vnius e Nostris consilium dissuadentis, suadentis aegroti confessionem: excitatus paret somnio, paulo post filius conualescit.

COLLEGIVM BAZAINVM, ET  
Cocinense cum Sede Vaipicorana.

PAR NOSTRORVM labor in eadem materia, par fructus: complectar multa, obuia similitudi-



litudine, tædij metu. *Adiuncti ad Christianorum cætum, super hominum nouem millia, amplius quadringenti. Baptismi pulcherrimi celebrati sex, sacrificali ornatu, effuso studio nobilium, lætaque plebe (qui mos est gentis) pulsæ pedum modulante sonum vocis: cum interea baptizandorum agmina in Serica veste, per vias incederent festo cultu instructas: omnia prorsus tum apparatu magnifico: tum etiam Ethnicis inuidendo, non sunt hæc parua, etsi paucis dicantur: sed his locis communia, & vrgent propria. Pagus est in Salsetano tractu, Marolum incolæ appellant, penes quem regimen in alios quinquaginta septem: Christo nomen dedit in peruigilio Virginis assumpta, fecitque exemplum pagis tredecim eiusdem Fidei capeßenda. Inter hos aliqui præcipiti senectute, & mulier quidem, cum decimum supra centesimum, vir cum duodeuigesimum annum perageret: nec defuere, qui in lectulo decumbentes, statim a baptismo quem enixe petierant, expirarunt. Ceterum tantus Neophytorum ardor animi, vt Maroli maturam segetem demetere prius noluerint, quam benedixisset Sacerdos manipulis, quos in speciem attulerant: & bouem præterea ad eum adduxerint, quam prius stulta superstitione venerabatur.*

**COCINVM EST** veluti emporium huius regionis, ex eo, præ confluentium multitudine, quorum confessiones audiuntur, rixæ tolluntur, pactio- nes iniuste retractantur, furta compensantur, maior lacrum animarum: tria mancipia liberata nexu serui-

seruitutis: totidem e caeno impudicia extracta: exaedificatio templi liberalitate viri nobilis non minimis sumptibus magnos progressus habet: sunt & aliqua ad eius usum collata, vt lampas argentea magni pretij. In Christianam religionem per baptismi ianuam ducenti tredecim ingressi.

V A I P I C O T A E porro, vt etiam Cocini, res enim similes coniungam, mulieres aliquot, & earum vna a Fide abhorrens, multis diebus cruciata dolore partus, vel recitato super eas Euangelio, vel superducto oleo aquaue, quibus Nostri benedixissent (hac enim, pro vtentium fide, multorum remedia morborum) citra damnum, viuos fetus enixa. ex quo augetur Fidei veneratio, & fidelium numerus. Daemonia quoque ex obsessis corporibus eiecta. In Paruano regno finitimo, iuuenes duo e Seminario quod procurant Nostri, duos energumenos sanarunt, ira frementibus magistris superstitionum, quibus nihil processerat: memorando vterque exemplo: sed alterius magis fama vulgavit. Missus hic erat ad Regem, officij causa. Regis filiam vexabat diabolus, nec vlla spes remedij, omnibus frustra tentatis. venit in mentem Regi, Reginaeque, experiri ecquid posset religio, quam Patres nostri docerent: cum praesertim haberent domi, eorum alumnum: nocte adulta Regina cum comitibus it ad cubiculum adolescentis, excitat dormientem, orat malum demonem e filia expellat: is attonitus Reginae conspectu, precum efficaciam, nec dū penitus sopore discusso: Eyciam inquit, uix compos mentis, instinctu diuino: & pœnituit

mox

mox dicti : sed erat irremediabile . It ad puellam cum  
 parentibus , amoueri iubet superstitiosa medicamen-  
 ta ( Canianes appellant ) procumbit in genua septem  
 psalmos recitare incipit , dictos Penitentia : cum  
 peruenisset ad quartum , cuius initium . Miserere , con-  
 tremiscens demon tollit vocem cum gemitu horribi-  
 lem : & apparebat metus . at Rex ad adstantes , Videt  
 malus rem sibi esse cum valente aduersario : & ad  
 diabolium : Non hic vides Cassanaires ( hisunt , vt a-  
 lias est scriptum , sacrificuli idolorum ) iam iamque  
 dabis pœnas audacissime . Noster pergit : cum ab-  
 soluisset preces , iacuit illa aliquãdiu exanimis , dein ,  
 excusso demonio , surrexit gratantibus parentibus ,  
 gratesque agentibus Christo : ad quem spes est , vt  
 toto cum regno , propediem conuertantur .

COVLANA DOMVS ET RELI-  
 qua Sedes .

**E** V A N G E L I O credidere centum , viginti .  
 super templa olim extructa , nouum est addi-  
 tum in regno , cui nomen Grunde : vbi Christiani  
 aliquot : & plures breui futuros mite incolarum in-  
 genium pollicetur . Centum iam Fidei præceptis im-  
 buuntur . Nec minus in Lusitania est elaboratum .  
 placati , elutique peccatorum sordibus multi : concu-  
 bina vni extracta , & in matrimonio honeste locata .

I N O R A T R A V A N C O R I S Christiano-  
 norum decem millia , per curias octodecim tributa-  
 torum omnium cura Societati commissa .

IN LITTORE PISCARIO Sedes sex,  
 ut superiore anno memorauimus: locorum non ina,  
 Tutucurinum, Punicale, Manapaz, Bembar, Tre-  
 candur, Manar: baptismo expiati hoc anno mille du-  
 centi septuaginta duo: eorum plerique e Manar in-  
 sula: vbi inchoatum templum vsui Neophytorum.  
 In hoc tractu, ex prescripto Patria Prouincialis,  
 institutum Seminarium, vbi triginta alantur iuue-  
 nes, suo tempore sacris initiandi. sexaginta puellæ,  
 quarum pudicitia propter paupertatem periclitaba-  
 tur, nuptui traditæ. In magna annonæ caritate persua-  
 sum diuitibus, ut pauperes eleemosyna subleuarent.

DE NIQUE hæc habemus de ijs qui Malacæ  
 versantur. Rex Dcior negligens fœderis facti cum  
 Lusitanis sese cum Maurorum Rege Achene coniun-  
 xerat: eorum aduentus Malacam timebatur, prope  
 fame laborantem. Igitur Episcopus, oblata occasio-  
 ne Pauli Limæ viri bello egregij, qui cum classe erat  
 in portu, ea vti voluit: illum exorauit, ut auertendi  
 periculi, vrbs hostilis expugnationem tentaret: du-  
 cti de nostris Sacerdotes duo militibus audiendis: præ-  
 die quam iniretur oppugnatio, confessi omnes, sa-  
 croque epulo refecti in insula, vnde ab hoste conspi-  
 ciebantur: quesit Rex, quid agerent Lusitani: vbi  
 audiuit comparare se ad mortem strenue oppeten-  
 dam, contremuit. Die sacro Virgini in calum ascen-  
 denti vrbs oppugnari cœpta a Lusitanis quadringen-  
 tis viginti: in ea erant hominum decem millia, tor-  
 menta bellica non parue magnitudinis, suis in locis  
 disposita, nongenta: & paucis post horis, diuino pro-  
 regente

tegente numine, capta: maxima hostium strage, multa eorum nauigia incensa: desiderati e Lusitanis quinquaginta: reliqui Malacam, magna gratulatione, lætitiæque ciuium effusorum obuiam, victores reuertere.

EXCIDERVNT, Patres Optimi, Fratresque mihi carissimi, hæc quoque litteræ annuæ, sicut inconditæ & rudes, ita fideles & rectæ: neque enim ornaui quæ reddidi, & quæ accepi non silui: vt si laudari non debeat Stylus, culpari non metuat animus scribentis. Et fui, vt prædixi, in arcto labor, sed præcipuum munus nostrorum annalium reor, non seruire auribus, sed consulere, vel locorum distantia, vel memoriæ sequentis æui. quamquam & simplex Veritas per se oblectat. nec nihil sperarem fortasse, si magnum votum admitteret angusta conscientia. Quod si non quero adminicula puritatis, seratis velim, non esse fastidij, sed securitatis de vestra beneuolentia præsumptæ. Valete. E Collegio Romano Decimo Kalendas Decembres CIO ID XC.

Omniū in Christo seruus

Franciscus Bencius.











